A. C. REMY.

DE

ARATO SICYONIO.



A. C. REMY.

DE

ARATO SICYONIO.



DISQUISITIO

DE

ARATO SICYONIO.

DISQUISITIO HISTORICO-LITERARIA DE ARATO SICYONIO.

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK,

MED. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS.

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

ANTONIUS CHRISTIANUS REMY.

ESSEQUEBO-AMERICANUS.

DIE XXXI OCTOBRIS MDCCCXXXVI, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM.

APUD R. NATAN. BIBLIOP. ACAD.

MDCCCXXXVI.

TYPIS MANDAVIT L. E. BOSCH.

CARISSIMAE MATRIS MEMORIAE

ET

PATRI OPTIMO

SACRUM.

PRAEFATIO.

Historia Graeciae, post Alexandri Macedonis obitum, ut dissensiones civiles turbasquè innumeras, ita, quibus affici suaviter lectoris animus queat, momenta exhibet paucissima. Hisce autem duo inprimis adnumeranda sunt: foedus, inquam, civitatum Achaïcarum, et regum Spartanorum, Agidis et Cleomenis, ad pristinum, qui Lacedaemone viguerat, rerum ordinem revocandum, conatus generosissimi. Jam vero, illud si spectes: cujus animum non advertat populorum in dies aucta concordia aequissimisque institutis firmata atque sancita? quem non delectet vox illa, totâ Graeciâ resonans: pereat quicunque liber esse sine lege velit? — Mihi quidem, apud Plutarchum, fata virorum perlustranti, qui, ex quo Macedonum in Graeciam invaluerat imperium, celebrandi maxime sunt quorumque vitas, arte

sua praeclara, locupletissimus Biographus concinnavit, nulla certe, unâ Agidis exceptâ, tantam creavit voluptatem, quantam ex Arati Sicyonii vitâ meditandâ percepi. Priorem partem dico: nam ultima, quae inde ab Acrocorintho tradita, res ejus persequitur, tristitiae summam habet.

Sed quicunque in hujusce viri temporum notitiam descendere altius voluerit habet omnino quod fontium, e quibus illa petatur, penuriam eorumque ipsorum, partim certe, non plane illibatam fidem doleat. Gratulandum profecto et hoc nomine literis foret, si Diodori Siculi Bibliotheca minus ad nos mutila pervenisset, aut si Polybius, in horum temporum memoria explicanda, eâdem, quâ in caeteris traditur, judicii integritate eâdemque uberrimâ momentorum omnium expositione fuisset versatus. Sed de his, in ipsa disquisitione, pluribus disputabitur. Hîc tantum fontium, qui ad manus mihi fuerunt, inopiae atque naturae commonuisse lectores sufficiat, si qui ad hanc scriptionem legendam animum forte applicuerint.

Ad quam priusquam aggredior, pio mihi defungi erga vos officio liceat, viri Clarissimi, HEUSDI *et* GOUDOEVERI*! qui, et cum, hujus Academiae quondam alumnus, institutione gauderem vestrâ, et vero, ex quo in augustum hoc Musarum domicilium (non ad otii literati instaurandas delicias) delatus iterum fui, meis pro-*

spicere commodis et consilio et operâ non recusastis. Vos igitur sic habetote: vestra hac in re merita semper me eâ, quâ par est, pietate celebraturum. Quod si eam vobis a me referri gratiam velitis, quae cernatur in humanitatis et literarum studiis, integro amore, colendis, huic officio ne desim, minime vereor.

Tuam etiam institutionem eximiam, Clarissime SCHRÖDER*! grata me laetaque condidisse memoria publice mihi profiteri liceat.*

Et vero vestra me, temporis praeteriti recolentem memoriam, vestra, inquam, suavissima fugeret imago, viri doctissimi, spectatissimi, LENTING *et* CAMPER*! qui Gymnasium literarium, quod Zutphaniae est, doctrina vestra ornatis? Immo hanc ego opportunitatem laetus arripio, pie ut vobis grateque significem, neque institutionis me vestrae, neque vero benevolentiae unquam fuisse immemorem, neque, ita me fata juvent! unquam futurum. Etenim, quo magis experiundo cognovi, juveniles animi quam facile a priscarum studio linguarum soleant absterreri, nisi solerti illis consilio saluberrimoque instituto exhilaretur iter et misceatur utile dulci: eo majora me ipsum debere vobis sensi, qui literarum in me puero amorem omni excitaveritis studio seduloque foveritis. Stat igitur apud me semperque stabit suus meritis vestris honos. Jam*

vero et vos, viri dilectissimi! sciscitantes amanter audio: tu autem, quodnam tandem vitae institutum persequeris? quae consilia agitas? quae vivit sub pectore spes? Quibus ego quaestionibus quae respondeam, quod hujus certe loci sit, vix reperio. In hoc igitur, quaeso, acquiescatis: mihi „Divis permittenti caetera" id praecipue manere in votis:

Χαρίτων κελαδεννᾶν
Μή με λίποι καθαρὸν φέγγος.

Atqui,

ἁ μοιριδία τις δύνασις δεινά.

Vos, ut finem jam faciam, nisi, meum huncce accipientes libellum, sic cogitetis:

δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε,

si id potissimum respiciatis, qualem me, vestrâ primum disciplinâ tamquam minoribus Musarum sacris initiatum, tot deinde tamque egregiis ad accuratam doctrinam comparandam instructum subsidiis, factum esse oporteret, in afflicta causa perii (fatebor enim): verum enimvero, in indulgentia vestra et humanitate spem meam omnem repono. Etiam atque etiam valetote!



CONSPECTUS.

CAPUT II. Aratus et Cleomenes.

§. 1.

Fontes, quibus in Arati et Cleomenis rebus exponendis Plutarchus et Polybius usi sunt.

§. 2.

Cleomenes.

§. 3.

Bellum Cleomenicum.

§. 4.

Accuratior de Arati conditione rebusque gestis, belli Cleomenici temporibus, disquisitio.

§. 5.

Plutarchi et Polybii de rebus Arati et Cleomenis judicium.

CAPUT III. Arati Macedonibus devincti fata et mors.



Vis consilî expers mole ruit suâ:
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In majus.

Horatius.

INTROITUS.

§ 1.

Initia et res gestae reipublicae Achaïcae usque ad Arati tempora.



Achaïa, quae proprie dicitur, in Peloponnesi parte septentrionali, a Sicyone et Phliasia secundum sinum Corinthiacum, litorisque anfractu juxta Jonium mare porrigitur Elidemque, et Arcadiae montes a Meridie conterminos habet. Ut incolis quondam variis frequentata fuit, ita varia quoque accepit nomina. Antiquissimis temporibus a situ, ut videtur, Aegialeae, deinde ab Jonibus ex Attica profectis occupata, Joniae nomen tulit. Quum autem

Dores sub Heraclidis, ad jura sua vindicanda, Peloponnesum essent magno impetu adgressi eamque fere totam sibi subjecissent, factum est ut Achaei, qui Spartam eo tempore atque Argos omnemque inferiorem Peloponnesum tenebant, sedibus suis relictis, Jones adorirentur totâque eos regione exterminarent [1]). Pulsis Jonibus sub regum potestate Achaei manserunt usque ad Ogygum. Hic autem ejusque filii cum non ex legum avitarum praescripto sed tyrannico dominarentur imperio, exacerbati Achaei, sublata tyrannide, democraticam regiminis formam in singulis urbibus induxerunt et concordiae vinculis inter se juncti manserunt, et vero, quod negatum ab auctore celeberrimo video, foederis aliquam societatem vetustissimis jam illis temporibus inierunt [2]).

---

1) De Achaïae situ atque opportunitatibus deque priscis incolarum fatis consulantur inprimis Pausanias in Achaïcis et Strabo, quorum tamen ille, quod ad Chronologicum factorum ordinem pertinet, summâ cautione adhibendus est. Cf. Bayeri *fasti Achaïci illustrati.*

2) Heynius *in Observ. ad Hist. Univ. auctoribus Guthrie et Gray. Tom.* II. *p.* 1029. expressis verbis haec scribit: »Bis dahin (ad Alexandri usque tempora) war noch kein Achä»ischer Bund noch Vereinigung.'' Atqui ex haud uno Polybii

Hac rerum conditione constanter satis et feliciter usi fuerunt. Neque enim, auctore Pausania, belli neque pestis calamitates tantum apud illos, quantum in aliis Graeciae partibus, grassabantur [1]).

Divisa eo tempore Achaïa erat in duodecim *πόλεις* s. *μέρη*, quorum quaeque rursus in septem aut octo *δήμους* distributa erat. Neque tamen eaedem civitates semper eo in numero recensitae sunt, aliis clade aliquâ deletis, aliis illarum loco in Achaïcam societatem receptis. Herodotus haec nomina civitatum edidit: Pellenen, Aegiram, Aegas, Buram, Helicen, Aegium, Rhypes, Patras, Pharas, Olenum, Dymen, Tritaeam; *Ταῦτα*, inquit, *δυώδεκα μέρεα νῦν Ἀχαιῶν ἐστὶ, καὶ τότε γε Ἰώνων ἦν* 2).

loco, contrarium non dubie evinci potest. Cf. inp. II. 41, 42. Strabo VIII. 7. Rectius Mitford *History of Greece ch.* IV. »A federal union was preserved among them, but too im»perfect for Achaia to take any important share in the politi»cal affairs of Greece."

1) Paus. *Ach.* 7. — Idem affirmat, Achaeorum civitates, unâ Pellene exceptâ, per omne tempus tyrannorum expertes mansisse. Merito tamen reprehendere eum videtur Helwing, *Geschichte des Achäischen Bundes pag.* 225, Polybium II. 41. testem citans.

2) L. I. c. 145. Herodotum etiam Strabo sequitur. Apud

Pleraeque Achaeorum urbes parvae erant; agri neque fertiles neque spatiosi; mari adjacebant importuoso, scopulos praeruptos pulsanti. Omnes in unum collectae unius civitatis, mentione dignae, vires haud aequabant [1]). »Achaei," inquit Polybius, »neque urbium numero neque eximia ulla »virorum praestantia caeteris ullo modo antecellunt. »Nam Arcadum sane natio et Lacedaemoniorum »quoque cum numero hominum tum ditionis mag»nitudine Achaeos longo intervallo superant; et ne »fortitudinis quidem palmam cuiquam ex omnibus »Graecis illi quos diximus concesserint." Quomodo igitur factum, ut et Achaei et qui in illorum reipublicae ac nominis societatem coaluerunt caeteri Peloponnesii tantam nominis celebritatem adepti sint? Praeclare subjungit idem: »Fortunam hujus rei »auctorem facere, perversum fuerit. At vero cau»sa, inquit, meo judicio haec est: nullam reperire

---

Pausaniam Aegium et Patrae non inveniuntur, in quorum locum successerunt Easion et Cecyrina. Apud Polybium desiderantur Aegae et Rhypes; memorantur autem Leontium et Cerynia.

1) Plutarchus. V. Arati IX.

»licet hominum societatem in qua juris aequabili-»tas, libertas loquendi atque universe popularis »vere status magis vigeat, aut instituta sint sinceriora, »quam apud Achaeos [1]."

Duo nobis servata sunt exempla maxime memorabilia, e quibus patet, quanta justitiae et aequitatis in administranda republica laude, multo jam ante Macedonum auctam potestatem, Achaei floruerint. Nam in Italia quae Graeci nominis civitates erant, cum domi res vehementer turbatas haberent et crudelibus odiis intestinis post caedes civiles laborarent, ex omni populorum Graecorum numero, horum unice auctoritatem et consilia secutae, concordiam instaurarunt, et vero post aliquot annos ad eorum exemplar respublicas composuerunt. Post pugnam quoque apud Mantineam [2], Graecorum omnium animis vehementer attonitis, cum et Thebani et Lacedaemonii victoriam sibi tribuerent, utrique Achaeorum arbitrio litem illam submiserunt, non quod opibus illi praevalerent, (erant enim eorum tunc civitates, ut Polybius ait, in

1) Polybius II. 38.

2) Cf. Schweighäuseri Nota.

tota fere Graecia minimae) sed quod fides eorum atque integritas, uno omnium consensu, supra caeteros praedicarentur [1]).

Rebus militaribus, primis temporibus, non admodum inclaruerunt Achaei. Neque enim, auctore Pausania, bellis Persicis communem Graeciae causam juverunt, neque ad Thermopylas neque ad Euboeam neque ad Salamina. Ad Plataeas autem quamvis subsidia Graecis adversus Mardonium miserint, tamen, quia in tempore non advenerant, in communi Graecorum donario, quod Olympiae dedicatum est, Achaeorum nomen caeteris sociis non adscriptum fuit. Bello Peloponnesiaco quales eorum partes fuerint, declarat Thucydides l. II. c. 9. ubi *Πελληνῆς δὲ*, inquit, *Ἀχαιῶν μόνοι ξυνεπολέμουν τὸ πρῶτον*, (nimirum cum Lacedaemoniis contra Athenienses), *ἔπειτα δὲ ὕστερον καὶ ἅπαντες*, qui tamen deinde nullam eorum mentionem fecit. Atheniensibus eos addictos fuisse affirmat Pausanias VII. 6. At haec

1) Polyb. II. 39. *τὸ δὲ πλεῖον, εἰς τὴν πίςιν καὶ τὴν ὅλην καλοκαγαθίαν, ὁμολογουμένως γὰρ δὴ τότε τάυτην περὶ αὐτῶν πάντες εἶχον τὴν δόξαν.* Cf. Strabo l. VIII. *τοσοῦτον ἠυδοκίμησαν περὶ τὰς πολιτείας, ὥςε* rlq.

omnia nullo admodum insigni rerum motu gesta fuerunt. Post vero, quam Leuctrica pugna fractae sunt Lacedaemoniorum vires, Arcades autem et Messenii contra eos arma ceperunt, Thebanis a Macedonibus devictis, Atheniensibus debilitatis, nihil in commune consulebatur: Achaei, diuturna pace et libertate viribus ad audendum comparatis, aliquantum honoris consequi coeperunt. Horum potentiam, praesertim cum ad Chaeroneam in acie stetissent contra Philippum, Macedones inique ferre, premere deinde Achaeos, omni proditionis genere illis insidiari, donec, post mortem Alexandri, Cassander, Demetrius et inprimis Antigonus Gonatas diversis partium studiis animos populi plane dissociarunt, ut aliae civitates tyrannos, aliae praesidia Macedonica reciperent [1]).

At vero sub Olymp. CXXIV. (a. 282 a C.) quo tempore Pyrrhus in Italiam trajecit, suis privatim commodis consulere desiere et veluti ad meliorem mentem reversi et poenitentia ducti ad concordiam

---

1) Cf. Polyb. II. c. 41. IX. 29. Pausanias VII.

redire coeperunt Achaei [1]). Primi omnium Dymaei, Patrenses, Tritaeenses et Phareenses, repetito vetere instituto, ad libertatem recuperandam conspirarunt. Quinto post anno accesserunt Aegienses, ejecto praesidio Macedonico et Burii, interfecto tyranno, Carynenses autem, ipso tyranno urbem tradente, ac sensim alii post alios tyrannis liberati, donec tandem omnes regionis illius civitates in unum foedus coïerunt [2]). Tunc autem, postquam aliquando pares consiliis suis Achaeorum respublica duces nacta erat, brevi tempore illi quid in ea virium ac roboris viveret, palam fecerunt, cumque indefesso ardore et persuadendo atque alliciendo et fortiter vi et armis cogendo, societatem extendere suam in dies magis elaborarent, factum est, ut mirum in modum Achaeorum respublica per totam Peloponnesum invalesceret, opibusque validissimis regum Macedonum

---

1) Strabo l. VIII. 7. § 1. *ὕϛερον δ' ὑπὸ τῶν Μακεδόνων λυθείσης τῆς κοινωνίας, ἀνέλαβον σφᾶς πάλιν κατὰ μικρόν* Polyb. II. 41. 42.

2) Exceptis Oleno et Helice, quarum illa caeteris se jungere recusavit, Strabo VIII. 1. haec vero vi fluctuum, biennium ante pugnam Leuctricam absorpta fuit. De Oleni vero fatis auctores antiqui dissentiunt.

succresceret potestati. Quod cum et egregia reipublicae Achaïcae disciplina et Arati inprimis effectum consiliis atque industria fuerit: de hoc viro maxime insigni diligentius agere in animum induximus. Ante tamen, quae ad civitatum Achaïcarum regiminis formam pertinent, summatim exponere visum est.

§. 2.

Regiminis forma reipublicae Achaïcae.

Apud Polybium legimus, Achaeos, regum insolenter se gerentium dominio priscis jam temporibus repudiato, democraticam instituisse reipublicae formam, eamque ad Philippum usque et Alexandrum retinere studuisse. Subjungit autem: »licet alias »aliter pro temporum necessitatibus res illorum se ha»berent": quibus verbis innuere videtur, popularem illum regiminis statum non semper integrum mansisse sed ad Democratiam modo sinceram, modo ad Aristocratiam quodammodo inclinasse.

Vix etiam aliter fieri potuit, quin pro Athenien-

sium sive Lacedaemoniorum sive etiam Thebanorum in rebus Graeciae diversis temporibus vi et efficacitate, Achaeorum etiam status aliquatenus immutaretur, Xenophon in Hellenicis tradit [1]: quo tempore Thebani, duce Epaminonda, principatum obtinerent, Achaeorum optimatibus, qui tunc civitates regerent, expulsis, Democraticam plane regiminis formam iterum apud Achaeos fuisse institutam, unde concludere licet, Polybium, ubi dicit: *τῆς ἰσηγορίας καὶ παῤῥησίας καὶ καθόλου δημοκρατίας ἀληθινῆς σύςημα καὶ προαίρεσιν εἰλικρινεςέραν οὐκ ἂν εὕροί τις τῆς παρὰ τοῖς Ἀχαιοῖς ὑπαρχούσης*, illa inprimis respicere tempora ubi contra gliscentem in dies Macedonum potestatem enixius jam luctari Achaei inciperent unamque reipublicae administrandae rationem secuti omnes ad instituta sua recipienda invitarent: illos autem qui vel propriis opibus vel regum auxilio freti suas sibi civitates servire cogerent, bellis continuis lacessendo, summa virium contentione opprimere conarentur.

Fuit igitur Achaïcae reipublicae status vere popu-

---

1) Hellen. VII. 30. 31. Cf. Mitford History of Greece h. XXVIII.

laris, sed salutaribus legibus temperatus aptissime atque restrictus. Constabat consociatione plurium civitatum arctissimo nexu inter se devinctarum, quae quidem ut pateat, in quantam concordiam coaluerint, audiamus Polybium. Quum multi, inquit, ante haec tempora essent conati Peloponnesiis persuadere, ut communibus consiliis omnium saluti prospicerent, neque tamen perficere quod instituerat quisquam potuisset: quod non communi libertatis defendendae studio, sed ad stabiliendam quisque suam dominationem id negotium susciperet: nostra hac aetate tale tantumque ea res incrementum cepit vel potius adeo perfecta est, ut non solum ad amicitiam sociali foedere inter se jungendam coïerint, sed etiam legibus, ponderibus, mensuris, pecunia denique eadem utantur: ad haec, magistratibus, senatoribus, judicibus iisdem: immo, quominus universa propemodum Peloponnesus pro urbe unica possit censeri, id unum obstat quod non eorumdem moenium ambitu omnes ejus incolae capiantur. Caetera apud illos et in commune et per singulas urbes similia sunt atque eadem.

Quamvis aliae civitates aliis majores, ditiores, validiores essent, nulla tamen, ut in aliis Graeciae partibus, principatum obtinere in reliquas studebat [1]. Omnes pari inter se jure agebant, omnes in decernendo ferendove suffragio aut in ordine consessus tantumdem valebant, nisi quod auctoritatis plus aliae quam aliae ad deliberationes afferrent.

Quin etiam in institutis hujus societatis erat, si quae civitas in Peloponneso non solum sponte sua aut persuadendo allecta sed etiam metu armisque coacta societati accederet, ut ejusdem ea juris particeps continuo fieret, quod foederis esset universi. Fiebatque ita plurimum, ut eas quae primum aversa mente adeoque armis compulsae in societatem traherentur, paullo post propter aequalitatem juris et status et propter fortunam adversus pericula hostesque munitam, conditionis suae non poeniteret, sibique maximopere de ea gratularentur. Ita, Polybius inquit, haec respublica, duobus illis usa, quae

---

1) Cf. Ubbo Emmius, de republica Achaeorum et Gillies, *History of ancient Greece Part.* II. *ch.* XI. *cf. ch.* XIII. *p* 471.

plurimum valent, aequalitate et philanthropia, voti sui celeriter compos est facta. Cf. Polyb. p. 126 [1]).

Mox ab initio repetitae libertatis atque instauratae societatis summos praefectos s. *Στρατηγοὺς* duos habuerunt e singulis vicissim civitatibus, editis suffragiis, electos cum potestate annuâ; his scriba s. *Γραμματεὺς* additus fuit 2) idque in more mansit per annos XXV. Deinde unum quotannis creare Praefectum s. Praetorem placuit, cui adjungebatur *Ἱππάρχης* s. magister equitum. Primus unius anni Praetor Marcus Carynensis fuit. a°. a. C. 255. s. a°. Achaïco XXVI. [3]).

---

1) Heyne Op. l. ea, quae in simili foedere sunt aut esse possunt, in illo fuere omnia: erat summa juris aequalitas, cum singulorum libertate et in populari statu optime constituto. — Gillies Op. l. Part. I. vol. II. ch. XI. reipublicae formam, qua Achaei usi sunt, vocat: »an excellent system of »government which checked the ambition, while it maintained »the independence of Achaia, et Part. II. vol. II. ch. XIII. »full fredom of speech, perfect equality of law, universal right »of suffrage and universal eligibility to office, formed the four »corner-stones of the Achaian cities individually, whileallof »them collectively were united in a confederacy of sentiment »as well as of interest."

2) Cf. Polyb. II. c. 43. *γραμματέα κοινὸν ἐκ περιόδου προχειριζόμεναι καὶ δύο ςρατηγούς.*

3) Cf. *fasti* Achaïci.

Ad Praetorem rei militaris potissimum administratio pertinebat, quamvis aliae etiam ejus in republica partes fuerint. Erat enim totius societatis princeps, sed potestas ejus legibus adstricta; in bello liberior. Rationibus moderaminis sui reddendis obnoxius esse solebat, subinde tamen erat ἀνυπεύθυνος cf V. Arati c. 40. Eligebatur ϛρατηγὸς αὐτοκράτωρ. c. 41. Imperium ejus erat annuum, sed eidem, si virtute polleret, per intervalla saepius redditum [1]).

Ad commune populi concilium congregabantur delecti omnium civitatum, quae societatis participes erant. Conveniebant autem quoties res poscebat, vocante Praetore aut magistratu alio: bis vero statis diebus quolibet anno, quae concilia legitima audiebant. Postquam Helice, urbs primaria olim Jonum, dein Achaeorum, terrae motu marisque eluvione absumta fuerat, locus conveniendi usitatus erat Aegii, quae civitas inter Achaïcas veteres opibus, populi frequentiâ, splendore eminebat. Strabo etiam

---

1) Sic de Arato Plutarchus e. 24. οὕτω δ' ἴσχυσεν ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς, ὥϛε, ἐπεὶ μὴ κατ' ἐνιαυτὸν ἐξῆν, παρ' ἐνιαυτὸν αἱρεῖσθαι ϛρατηγόν.

lucum prope urbem memorat, Jovi sacrum, cui Arnario nomen, in quem convenire Achaei solebant, de republica deliberaturi [1]). Sed conveniebant nonnunquam etiam alibi, uti factum non semel legimus, Sicyone, Argis, Megalopoli, Corinthi, Tegeae.

Penes hoc concilium summum erat rerum arbitrium. Ex ejus decreto bella suscipiebantur, pax conveniebat, foedera et sanciebantur et solvebantur, leges fiebant ratae aut irritae. Hujus etiam erat magistratus toti societati communes eligere, legationes decernere, legatos designare et mandatis instruere, regum quoque et populorum aliorum legatos audire, postulataque eorum aut preces cognoscere deque his statuere. Regebant concilium praetor praecipue et magistratus alii, quos Achaei *δημιουργούς* nuncupabant. Hi decem numero erant, suffragiis legitimi concilii, quod verno tempore habebatur, electi, prudentia insignes, quorum consilio praetor potissimum ex lege utebatur.

---

1) Strabo l. VIII. cf. Paus. VII.

Praetor solebat convocare demiurgos; hi autem de quibus rebus erat agendum, Praetore communicante, senatum populumque singularum urbium consulebant. Deliberatione privatis in concionibus inita, demiurgi convocabant concilium Achaïcum, etiam extra tempus lege statutum, si ita videretur. Ubi in unum convenerant, Praetor, qui praesidebat concilio, rem in medium proponebat; nisi de bello sermo esset, sententiam etiam suam declarabat; suadentibus aliis, aliis dissuadentibus. Si major Demiurgorum pars consentiret, referebatur ad populum. Aliis de rebus, nisi de quibus ante concilium cum senatu populoque singularum civitatum communicatum fuisset, agi in conciliis non placuit. Decretum concilii suffragiis sancitum saepe lapidi aut columnae incidebant et locis sacris figebant. Interdum et jurejurando firmabant, a quo deinde recedere summum nefas habebatur.

Memorantur etiam leges aliae, quae in Achaeorum republica maxime vigebant. v. c. ne cui exterae gentis legato concilium daretur, nisi editis prius mandatis scriptis, uti antea appareret, qua de causa con-

cilium postularetur [1]. Ne cui Achaïci concilii civitati seorsim legatos ad exteros mittere liceret [2]. Ne ultra diem tertium concilium traheretur [3]. Ne in societatem Achaeorum ulli reciperentur ab aliqua civitate ejusve magistratibus, insciis reliquis sociis [4]. Ne donum quisquam a regibus caperet [5].

---

1) Polyb. XXIII. 10. *τοὺς γὰρ νόμους οὐκ ἐᾷν, ἐὰν μὴ φέρῃ τις ἔγγραπτα παρὰ τῆς συγκλήτου, περὶ ὧν οἴεται δεῖν συνάγειν.* cf. XXIV. 5.

2) Pausanias in Ach. IX.

3) Livius XXXII. 22. Supererat unus justi concilii dies: tertio enim lex jubebat decretum fieri.

4) Polyb. VIII. 14. XXVIII. 7. XL. 8.

5) Id. XXIII. 8.

Locum de legibus deque totâ regiminis formâ reipublicae Achaïcae tractarunt Martinus Schoockius in *Achaïa veteri.* Ubbo Emmius l. l. Gast, *Gesch. von Griechenland seit Alexander bis zur endlichen Unterjochung durch die Römer. Aus dem Englischen l. IV. sect.* 1. Doctissime de eodem argumento egit Tittmann, *Darstellung der Griechischen Staatsverfassungen p.* 673—688. Vide etiam Helwing, *Gesch. des Achäischen Bundes. p.* 221. Ste Croix, *sur les anciens gouvernements fédératifs.* Von Breitenbauch, *Geschichte der Achäer und ihres Bundes. Frankf.* 1782. *Discours, qui a remporté le prix de l'Acad. des Inscr. sur la question proposée en* 1782: *Comparer ensemble la Ligue des Achéens* 280 *ans avant J. C., celle des Suisses en* 1307 *de l'Ere Chrét. et la Ligue des Provinces unies en* 1579 par J. de Meermann, *à la Haye* 1784. 4°.

CAPUT I.

ARATUS.

§ 1.

ARATI FATA JUVENILIA; SICYONEM LIBERAT ET FOEDERI ACHAÏCO JUNGIT.



Τῆς ὅλης ἐπιβολῆς ἀρχηγὸς καὶ καθηγεμών.

POLYBIUS.

Accedimus ad universi instituti ducem atque auctorem, Aratum Sicyonium [1]). Tenerrima jam aetate in fatum incidit omnium crudelissimum, et miro quodam rerum concursu, unde minime sperare poterat, salutem reperit. Rei opportunitas haec

1) Polybius *p.* 127 *Ed. Casauboni. anni* 1609.

fuisse traditur. Urbs ejus patria, Sicyon, Doricam sive mere Aristocraticam regiminis formam olim amiserat [1]. Hinc turbae undique civiles et seditiones, oratorum popularium ambitiosissimi et perditissimi conatus, tyrannis tyrannidem excipiens, donec, Cleone occiso, ad Timoclidam denique et Cliniam, viros nobilissimos et potestate inter cives insignes, summa rerum delata est. Rebus quodammodo constitutis, Timoclidas moritur, Abantidas autem, Pasei filius, tyrannidem affectans, Cliniam occidit ejusque amicorum et necessariorum alios interficit, alios urbe pellit. In illis, quos morti destinaverat, etiam Aratus erat, Cliniae filius, vixdum septimum annum agens. Is, cum in domestico tumultu, salutem fugamque circumspiciens, trepidus oberraret, forte fortunâ, insciis omnibus, in domum Sosûs, sororis tyranni, pervenerat. Erat quod sibi gratularetur

1) Ita Plutarchus. Caeterum de Aristocratica regiminis formâ non mere Doricâ appellanda conferri meretur Tittmann, *Darstellung der Gr. Staats-verfassungen p.* 552. *rlq.* ubi hunc etiam Plutarchi locum citat. Rem parum adhuc mihi perspectam in medio relinquere et Graecum auctorem sequi malui.

Aratus, in hoc se post anxios errores asylum tam insperato fuisse delatum. Soso enim, mulier generosa et facti novitate perculsa, Dei cujusdam auxilio puerum illum tenerrimum ad se profugisse censens, misericordiâ ducta neque de fratris irâ sollicita, domi eum occultavit noctuque clam Argos emisit. In hac civitate, quae ipsa quoque tunc sub tyranno erat, ab amicis hospitibusque paternis benevolentissime exceptus et liberali institutione imbutus fuit. Palaestrae etiam, quippe corpore vigens [1]), tantam operam dedit, ut ludis Graecorum solennibus, quinquertium certando, coronam reportaverit, quod quantum ad gloriam vitamque beatam valuerit, egregie passim Pindarus declarat. Dicendi quidem artem, inquit Plutarchus, quamvis non tantâ excoluerit diligentiâ, quantam a viro exspectes in republica

---

1) Etiam in Arati statuis, auctore Plutarcho, athletica quaedam species apparebat: *τὸ συνετὸν*, inquit, *τõυ προσώπου καὶ βασιλικὸν ου παντάπασιν ἀρνεῖται τὴν ἀδηφαγίαν καὶ τὸ σκαφίον.* — Qno nomine dissimillimus Arati Philopoemen fuit, in arte Gymnastica excolenda, Epaminondae maxime rationem secutus V. *Philopoemenis c.* 3. cf. Nepos in *V. Epaminondae c.* 3.

aliquando versaturo, elegantior tamen atque ornatior in dicendo fuit quam nonnullis visum, ex commentariis ejus judicium instituentibus, quos obiter et raptim, vocabulis quae in solum, ut dicitur, conscripserit. Polybius certe in caeteris quibus praestiterit Aratus virtutibus, vim quoque dicendi memorat [1]), neque unquam, quoad ex ejus vitâ constat, oratoriae virtutis inopiâ opportunitatibus vel gravissimis defuit. Quantum autem almae matri, naturae, et felici ingenio, quantum vero arti studiisque debuerit, incertum videtur.

Aratus igitur in praeclaras artes incumbens, Argis adolescebat; saepe illius diei memoriam recolens, quae tantorum ei malorum causa fuerat, quâ gladiis ipse imminentibus vix sese eripuerat. Nec mirum adeo si acre medullis conceperit tyrannidis odium, idemque nonnisi de patre, misere interfecto, ulciscendo deque patria a servili jugo liberanda sollicitus fuerit. Ciceronis filium se admirari Brutus ait, quod sive vigilaret sive somniaret nonnisi

1) IV. 8.

tyrannicidium cogitare videretur [1]. Vix de Arato aliter censendum.

Accidit interea, ut Abantida, ejusque patre Pasea, qui tyrannidem deinceps affectaverat, per insidias de medio sublatis, Nicocles, homo nequam, Sicyoniorum se tyrannum constitueret [1]. Annum Aratus agebat vicesimum. Et propter generis nobilitatem animique magnitudinem et propter gravitatem quandam atque prudentiam, quae ejus aetatem superare videbantur, in magna jam auctoritate esse coeperat. Hinc factum, ut exules Sicyonii ad eum maxime animum adverterent, eoque potissimum duce avitas sedes se recuperaturos sperarent. Neque etiam Nicocles ea quae gerebantur negligebat: sed Arati conatus occulte speculabatur. Facinus quidem tam audax

---

1) Plut. *in V. Bruti XXIV.*

2) De Sicyone Strabo VIII. 6. *'Ετυραννήθη πλεῖςον χρόνον· ἀλλ' ἀεὶ τοὺς τυράννους ἐπιεικεῖς ἄνδρας ἔσχεν.* Ipsum tamen hunc Nicoclem, quem Aratus expulit, multis malis urbem afcisse Plutarchus affirmat. Subjungit Strabo: *"Αρατον δ' ἐπιφανέςατον* sc. *τύραννον·* ad quem locum jure Casaubonus: »Aratum si revera in tyrannornm albo reponendum esse sen»sit, magnam ei injuriam facit."

tamque periculosum, quantum Sicyonis esset expugnatio, juvenem illum aggressurum minime metuebat, at vero colloquia illum de patriâ liberandâ agitare cum Macedoniae rege atque Aegypti non temere suspicabatur. Hi enim amicitiae fuerant hospitiique vinculis cum Arati patre conjuncti, nullamque facile negligere solebant opportunitatem, qua vim suam in res Graeciae exserere possent. Et vero, auctore Plutarcho, hac viâ rem aggredi instituerat: sed cum et Antigonus, multa pollicitus, agendi occasionem omitteret et Ptolemaeus, unde spei aliquid erat, longius abesset, suis ipse viribus fretus remque eo sibi gloriosiorem fore reputans, quo altiora de se uno sperasset, ut ipse per sese tyrannum everteret, omnia audere statuit. In hac autem juvenis, praeclara omnia quamvis ardua appetentis, audacia, mirum quanta eluceat solertia, quam firmum nullisque obstaculis cedens consilium. Cum Ecdelo primum atque Aristomacho propositum suum communicat [1]). Hic e Sicyone

---

1) Ita Plutarchus. Polybius X. 25. Ecdemum et Demophanem Megalopolitanos, in evertendo Sicyoniorum tyranno, Aratum opera sua adjuvisse tradit.

exul, ille Academicae philosophiae alumnus et ad agendum strenuus erat. Qui cum alacriter institutum tam grande probassent, Aratus cum reliquis etiam exulibus loqui coepit, sperans fore, ut uno omnes consensu ad tam praeclari facinoris societatem accederent. Sed pauci tantum, quos libertatis causam deserere pudebat, nomen fidemque dederunt, plerique vero quasi rerum imperitiâ audacius agentem reprimere conabantur. At vero arduum erat, impetum sistere tam generosum. Aratus igitur, quippe qui occulte et semel potius de summâ rei aleam jacere, quam contra tyrannum longo bello et aperto Marte contendere mallet, id inprimis egit ut locum quendam Sicyoniae occuparet, quo belli adversus tyrannum gerendi receptaculo uteretur. Quo potitus, rem statim aggressus est.

Plutarchus miro describendi artificio totam hanc Arati expeditionem narravit [1]), quam quidem hoc loco accurate persequi non lubet. Haud tamen si-

---

1) In v. Arati c. V.—IX. Vividam si spectes et vero dramaticam rerum gestarum expositionem, jure Plutarchus laudis

lentio premenda singularis illa solertia qua cum in toto hoc negotio administrando tum maxime in eludendis Nicoclis insidiis Aratus usus fuit. Quum enim, plerisque Sicyonem versus emissis, suspicionis vitandae gratia Argis adhuc remaneret et tyranni speculatores ad se observandum clam circumire acciperet, haudquaquam perterritus, vulpemque dolo capiendam censens, orta luce in publicum progressus cum amicis in foro commoratus est; unctus deinde in gymnasio e palaestrâ domum abduxit adolescentes quosdam secum bibere et genio indulgere solitos.

Paullo post in foro apparebant famuli ejus, alius coronas ferens, alius faces emens, alius cum mulierculis, quae psallere et fistula canere in convivio solent,

---

illius partem vindicare sibi posse videtur quam in Thucydidem ipse et Xenophontem pleno contulit ore. *In v. Niciae c. I.* ὥρα παραιτεῖσθαι καὶ παρακαλεῖν ὑπὲρ ἐμοῦ τοὺς ἐντυγχάνοντας τοῖς συγγράμμασι τούτοις, ὅπως ἐπὶ ταῖς διηγήσεσιν, αἷς Θουκυδίδης, αὐτὸς αὑτοῦ περὶ ταῦτα παθητικώτατος, ἐναργέστατος, ποικιλώτατος γενόμενος, ἀμμιήτως ἐξενήνοχεν rlq. *In v. Artaxerxis c. 8.* τὴν δὲ μάχην ἐκείνην Ξενοφῶντος μονονουχὶ δεικνύοντος ὄψει καὶ τοῖς πράγμασιν, ὡς οὐ γεγενημένοις ἀλλα γινομένοις, ἐφιστάντος ἀεὶ τὸν ἀκροατὴν ἐν πάθει καὶ συγκινδυνεύοντα διὰ τὴν ἐνάργειαν etc.

colloquens. Exploratores, hoc strategemate decepti, multo cum risu dixerunt: nihil profecto tyranno timidius, quandoquidem Nicocles tantam urbem possidens tantasque copias, sibi ab adolescente metuit exilii sui viatica in voluptates et convivia diurna insumente. Aratus igitur, callidissimo hoc consilio usus, imminenti sese periculo eripit, suos adsequitur, impellit labantes, adjuvante fortuna et Apolline propitio [1]), parva manu adjutus, clandestino introïtu urbe potitur. Continuo ad aedes tyranni et praetorium contendit, ubi mercenarii milites pernoctare solebant. Omnibus comprehensis, nemine occiso, statim ad amicos dimisit qui singulos ad se vocarent. Facto undique concursu, omniumque adhuc animis ob incertum rumorem suspensis, praeco in medium progressus edixit, Aratum, Cliniae filium, ad libertatem cives vocare. Sicyonii, tum demum confidentes, adesse quae jam olim exspectavissent, confertim ad tyranni domicilium properant, ignemque ei admovent. Flamna ingens Corinthum usque luxit parumque

---

1) *σύνθημα παραδοὺς Ἀπόλλωνα ὑπερδέξιον.*

abfuit quin Corinthii, quidnam hoc rei esset, mirati ad opem ferendam accurrerent. Nicocles salutem fuga petiit, milites autem et cives, exstincto incendio, domum diripuerunt: Arato non hoc tantummodo concedente, sed et reliquam tyrannorum pecuniam civibus largiente. Nemo tamen omnium vulneratus fuit, sed facinus illud fortuna ab omni sanguine civili purum servavit [1]).

Praeclaro hoc facinore edito, acerrimus ille in excutiendo tyrannidis jugo adolescens, temperanter idem victoria humaniterque usus est. Hoc enim profitebatur: »parcere victis et debellare tyrannos." Voti semel compos, in illegitimi satellites istos dominii atque instrumenta saevire dedignatus est. Quam inveteratum autem in illos conceperit odium, qui civium jura atque aequalitatem insolenter et temeraria pervertissent ratione, valde insigni edocemur exemplo. Sicyone enim liberatâ, omnes tyrannorum imagines statim sustulit, de Aristrato vero, qui Philippi temporibus viguit, diu deliberavit, qui currui

1) v. Ar. c. IX.

Victoriam portanti adstans a Melantho pictus erat; cui operi Apelles etiam manus admoverat. Aratus igitur dubius haerens ab unâ parte odio tyrannidis, ab alterâ artis praestantiâ agitatur, ut idem ille ᾧ ἐνεφύετο καὶ συνηύξετο τὸ σφοδρὸν καὶ διάπυρον μῖσος ἐπὶ τοὺς τυράννους, tabulae pictae pulchritudine moveatur et a delendi proposito flecti videatur. Mox vero, veluti se recolligens, deleri illam jubet. Amici tandem ejusque ingeniosissimi artisque suae amantissimi artificis precibus et lacrimis ita exoratur, ut, modo evanescat species invisa tyranni, integra manere caetera concedat. —

Fuit profecto Sicyonis a tyrannide liberatio ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον τηλαυγές. Hinc enim gloriosum illius viri vitae curriculum felicissimis incepit auspiciis, qui, hostibus undique et proditoribus obsessus, quid virtus, quid solertia possit, luculenter probavit.

Sicyonem post quinquaginta annos tyrannorum jugo ereptam summâ conspexerat invidiâ Antigonus Gonatas, Macedoniae rex. Hujus enim ope, auctore Polybio, plurimi in Graeciâ sati ty-

ranni fuerant [1]. Quare recentem illam Sicyoniorum libertatem insidiis iterum subruere studuit. Neque externum modo impendebat periculum, sed turbis etiam civilibus et seditionibus misere tunc civitas illa vexabatur. Exules enim qui a Nicocle pulsi fuerant, octoginta numero, quique a prioribus tyrannis, haud pauciores quingentis, iidemque ejus civitatis locupletissimi, post longos errores, strenuà Arati operâ patriae quidem redditi fuerant, sed plerique pauperrimâ conditione cum rediissent, bona sua, quod praevideri poterat, repetebant. Unde summae Arato coörtae difficultates, qui de remedio utrique malo afferendo multum meditatus, cum jam inde a principio mores atque instituta Achaeorum adamasset [2], horum foederi Sicyonem

---

1) Polyb. p 129. *πλείςους γὰρ δὴ μονάρχους οὗτος ἐμφυτεῦσαι δοκεῖ τοῖς Ἕλλησι.* Hinc facile intelligitur quare Antigonus auxilii Arato ad Sicyonis tyrannum opprimendum suppeditandi tempus opportunum neglexerit. Promisit vero, ne magnanimum a se juvenem alienaret, eo quoque, multorum instar, tamquam instrumento aliquando consiliorum suorum se usurum sperans.

2) Polyb. p. 130 *ἀρχῆθεν εὐθὺς ἐραςὴς γενόμενος τῆς προαιρέσεως αὐτῶν.*

adjunxit tantumque illius in cives suos valuit auctoritas, ut, qui Doricâ stirpe se oriundos gloriarentur, ultro reipublicae Achaeorum nomen dederint. Atqui neque dignitate neque opibus inter Graeciae civitates eo tempore Achaei florebant. Sed, ut praeclare Plutarchus: *μάλιςα δὴ διέδειξαν οὗτοι τὴν Ἑλληνικὴν ἀλκὴν ἀπρόσμαχον οὖσαν ὁσάκις τυχοι κόσμου καὶ συντάξεως ὁμοφρονούσης καὶ νοῦν ἔχοντος ἡγεμόνος, οἳ τῆς μὲν πάλαι τῶν Ἑλλήνων ἀκμῆς οὐδὲν, ὡς εἰπεῖν, μέρος ὄντες, ἐν δὲ τῷ τότε μιᾶς ἀξιολόγου πόλεως σύμπαντες ὁμοῦ δύναμιν οὐκ ἔχοντες εὐβουλίᾳ καὶ ὁμονοίᾳ καὶ ὅτι τῷ πρώτῳ κατ' ἀρετὴν ἐδύναντο μὴ φθονεῖν ἀλλὰ πείθεσθαι καὶ ἀκολουθεῖν, οὐ μόνον αὑτοὺς ἐν μέσῳ πόλεων καὶ δυνάμεων τηλικούτων καὶ τυραννίδων διεφύλαξαν ἐλευθέρους ἀλλὰ καὶ, τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ὡς πλείςους ἐλευθεροῦντες καὶ σώζοντες διετέλουν.*

Sicyone foederi Achaïco junctâ, rerum tamen ordo in integrum nondum restitutus erat. Exules enim exorari se nequaquam sinebant, bonorumque suorum possessoribus tantas creabant molestias, ut summum inde urbi immineret periculum. Aratus, »quia et eos quos ipse restituerat, quorum bona alii

»possederant, egere iniquissimum arbitrabatur, et »quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis »aequum putabat, propterea quod tam longo spatio »multa haereditatibus, multa emtionibus, multa »dotibus tenebantur sine injuria: judicavit neque »illis adimi neque his non satisfieri, quorum illa fue-»rant, oportere [1])." Cum igitur statuisset opus esse ad lites illas dirimendas pecuniâ nihilque ardentius speraret, quam ut civium suorum concordiam et felicitatem solido sibi firmare fundamento aliquando contingeret: Ptolemaeum Philadelphum, hospitem suum, immensis quem valere opibus iisque munificentissime uti solere [2]) sciebat, adire, eumque, ut argento sibi ad sedandos civium animos subveniret, implorare decrevit [3]). Aratus, quamvis juvenis,

1) Cf. Cicero *de Off. II.* 23.

2) Cf. Gillies P. II. ch. XI.

3) Neque ad tam salutare negotium tamque praeclarum, regis amici liberalitatem invocare, viro probo indignum putavit de quo festive in v. Aristidis c. I. Plutarchus: *οὐ γάρ ἐςι τοῖς ἀγαθοῖς ἀκήρυκτος καὶ ἄσπονδος πρὸς τὰς παρὰ τῶν φίλων δωρεὰς πόλεμος, ἀλλὰ τὰς εἰς ἀπόθεσιν καὶ πλεονεξίαν ἀγεννεῖς ἡγούμενοι καὶ ταπεινὰς, ὅσαι φιλοτιμίας τινὸς ἀκερδοῦς ἔχονται καὶ λαμπρότητος οὐκ ἀπωθοῦνται.*

Ptolemaei sibi favorem haud inepte conciliaverat. Cum enim quanto rex Aegyptius artes elegantiores amplecteretur amore, non ignoraret, cumque ipse in artis operibus aestimandis judex haud inelegans esset, mittere ad eum solitus fuerat picturas maxime insignes, Pamphili et Melanthi singulari quodam artificio perfectas [1]). Quod quali egerit consilio, qui de civium suorum multo magis, quam de sua ipse salute sollicitus esset, facile intelligitur. Jam vero conscenso navigio in Aegyptum tendit, quo cum per varia rerum discrimina pervenisset [2]) essetque a rege Ptolemaeo familiariter humaniterque exceptus, facile impetravit, ut satis grandi pecuniâ ab eo adjuvaretur, ut, qui antea donis a rege Aegyptio acceptis ad civium suorum salutem usus fuerat, nunc quoque regalibus munitus subsidiis in patriam redux ad tranquillitatem illa et concordiam instaurandam munificentissime adhiberet, unde jure de

---

1) *Ἤνθει γὰρ ἔτι δόξα τῆς Σικυωνίας Μούσης καὶ χρηστογραφίας, ὡς μόνης ἀδιάφθορον ἐχούσης τὸ καλόν.* v. Arati c. XIII. Cf. Strabo VIII. 6. 23.

2) In Andriam enim tempestate delatus, parum abfuit, quin a praesidio caperetur Macedonico.

hoc facinore Plutarchus ita pronuntiat: Ἦν μὲν οὖν μέγα τὸ χρήματα τοσαῦτα πορίσαι τοῖς πολίταις, ὅσων σμικρὸν μέρος ἄλλοι ςρατηγοὶ καὶ δημαγωγοὶ λαμβάνοντες παρὰ βασιλέων, ἠδίκουν καὶ κατεδουλοῦντο καὶ προέπινον αὐτοῖς τὰς πατρίδας. Neque tamen facile Aratus tantis difficultatibus expediendis unus par erat. Litium igitur quamvis dirimendarum totiusque negotii administrandi cura ei soli mandata fuerit, quindecim viros tamen in consilium sibi adhibere non dubitavit, sive quod tantâ potestate modice uti mallet, sive quod de controversiis illis, propriâ tantum auctoritate componendis, desperaret. Quidquid est: res multo cum labore ad finem perducta et pax civitati reddita fuit [1]), neque a civibus tantum universis praeclari facinoris Aratus praemia digna tulit, sed exules etiam statuam ei posuerunt aeneam, magnificâ inscriptione ornatam.

Qui vero insigni hoc honore omniumque laude ornatus erat, idem, ex quo Sicyonem Achaeis adjunxerat, insigne modestiae suae et continentiae spe-

1) O virum magnum, exclamat Cicero, dignumque qui in nostrâ republicâ natus esset. Ib.

cimen exhibuit. Cui enim universa civitas salutem debebat suam, qui et gloriâ suâ et patriae opibus foedus Achaïcum tam splendide auxerat, equo idem merens, morigerum se, uti de vulgo aliquis, ducibus Achaeorum singulis praebuit, sive Dymaeus esset sive Tritaeus sive ex humiliori etiam urbe oriundus: unde fieri vix aliter potuit, quin ducum illorum sibi favorem eximium in modum conciliaret. Quamvis autem, quantopere temperare sibi posset, luculenter Aratus probavit: ad altiora tamen natum se sentiens, summo illam diem exspectabat desiderio, quâ ipse dux foederi praepositus, quanto ejus firmandi, augendi, nobilitandi, adversus pericula undique imminentia fortiter defendendi flagraret ardore, Graeciae universae palam faceret.

§ 2.

Arati indoles.



Dies optata tandem illuxit, quâ Aratus, annum agens sextum et vicesimum, ab Achaeorum concilio universi foederis Praetor sive Strategus electus est [1]. Ante vero quam res, quas et in primâ et in sequentibus, quibus persaepe Praeturis functus est, sive praeclare sive minus prospere gessit, persequamur, age, illustrissimi viri imaginem, qualem eam expressam cognovimus, licet extremis dumtaxat lineis, ita tamen adumbremus, ut, quibus in genere praedi-

---

1) Ao. Achaïco tricesimo sexto s. a. C. 245. cf. *fasti Achaïci.*

tus facultatibus ad tantum munus obeundum accesserit, in promtu appareat.

Aratus igitur, teste Polybio, ad res inprimis civiles gerendas capessendamque rempublicam omnibus numeris absolutus fuit: *τέλειος ἀνὴρ εἰς τὸν πραγματικὸν τρόπον*: cujus eximiae sane laudis res Achaeorum, a parvulis initiis ad summam perlatae potentiam atque amplitudinem, locupletissimi omne in aevum testes sunt. Illam autem ut attingeret excellentiam, hisce inprimis, eodem auctore, adjutus ingenii animique virtutibus fuit. Nimirum et excogitare consilia solertissime et cogitata premere altâ mente recondita, et, ubi opus foret, sensa mentis explicare verbis poterat: *καὶ γὰρ εἰπεῖν καὶ διανοηθῆναι καὶ στέξαι τὸ κριθὲν δυνατός* [1]. Dissensiones civiles ferebat leniter; in amicis sociisque conciliandis secundus nemini erat.

Bellicam ejus virtutem spectanti, si Marte aperto esset decernendum, timidior apparebat et segnior; ubi vero insidiis erat hostis petendus, urbs furtim

---

1) Polyb. IV. 8.

surripienda clandestinisque consiliis subvertendus tyrannus, ubi denique doli vel periculosissimi moliendi simul essent et exsequendi, audaciâ et laboris aerumnarumque tolerantiâ (*διὰ τῆς αὐτοῦ κακοπαθείας καὶ τόλμης*) facile superabat omnes. Quâ in re mirari forsitan nonnullos subeat, virum, qui, quantopere reipublicae causam vitâ suâ potiorem duceret, haud semel probaverit, quique discriminum ultro subeundorum speculator toties acerrimus fuerit, eundem communem salutem, quoties justâ esset acie dimicandum, deseruisse sibique tantum consuluisse videri. Quocirca operae pretium me facturum existimo, si rationes varias, quibus duumviri celeberrimi qui de rebus Arati datâ operâ scripserunt, rem illam explicare adgressi sunt, paucis aperuero. Polybius igitur, nullâ in medium causâ prolatâ, exemplis allatis *τὸ παράδοξον* tollere atque ostendere conatur, non in singulis tantum hominibus sed in gentibus etiam universis simile quid haud raro obtinere. *Οὕτως*, inquit, *αἱ τῶν ἀνθρώπων φύσεις οὐ μόνον τοῖς σώμασιν ἔχουσί τι πολυειδὲς, ἔτι δε μᾶλλον ταῖς ψυχαῖς· ὥςε τὸν αὐτὸν ἄνδρα μὴ μόνον ἐν τοῖς δια-*

φέρουσι τῶν ἐνεργημάτων, πρὸς ἃ μὲν εὐφυῶς ἔχειν, πρὸς ἃ δὲ ἐναντίως, ἀλλὰ καὶ περί τινα τῶν ὁμοειδῶν πολλάκις τὸν αὐτὸν καὶ συνετώτατον εἶναι καὶ βραδύτατον, ὁμοίως δὲ καὶ τολμηρότατον καὶ δειλότατον· οὐ παράδοξα ταῦτά γε, συνήθη δὲ καὶ γνώριμα τοῖς βουλομένοις συνεφιςάνειν· τινὲς μὲν γὰρ ἐν ταῖς κυνηγίαις εἰσὶ τολμηροὶ πρὸς τὰς τῶν θηρίων συγκαταςάσεις, οἱ δ᾽ αὐτοὶ πρὸς ὅπλα καὶ πολεμίους ἀγεννεῖς· καὶ τῆς τε πολεμικῆς χρείας, τῆς κατ᾽ ἄνδρα μὲν καὶ κατ᾽ ἰδίαν εὐχερεῖς καὶ πρακτικοὶ, κοινῇ δὲ καὶ μετὰ πολεμικῆς ἐνίων συντάξεως ἄπρακτοι. Variorum deinceps populorum exempla memorando, sententiam illustrare suam et firmare studet. Est autem haec illustratio aliorumque in simili causâ versantium collatio ea, quâ libenter acquiescamus, cum profecta a viro sit, qui, quam diligens fuerit et sagax indolis populorum et naturae universe humanae perscrutator, innumeris scriptorum suorum locis probavit.

Plutarchus aliam sibi, ut rem expediat, viam ingrediendam esse censuit. Ingeniose primum ex animalium regno sumtâ similitudine, ita pergit: *καὶ*

δεινότης τίς ἐϛιν ἀνθρώπου καὶ σύνεσις ἐν τοῖς ὑπαίθροις καὶ διακεκηρυγμένοις εὐτάρακτος φύσει, πρὸς δὲ τὰς ἐπικρύφους καὶ λαθραίους ἀναθαρσοῦσα πράξεις. In cujus inconstantiae causam altius inquirendo, rem hoc modo explicat: τὴν δὲ τοιαύτην ἀνωμαλίαν ἔνδεια λόγου φιλοσόφου περὶ τὰς εὐφυΐας ἀπεργάζεται, τὴν ἀρετὴν, ὥσπερ καρπὸν αὐτοφυῆ καὶ ἀγεώργητον ἐκφέρουσα, δίχα τῆς ἐπιϛήμης. Quibus verbis, Plutarchum si rite capio, Arato ad virtutem militarem praeclaro a natura instinctu praedito, quominus illa in quovis belli genere sibi constaret, scientiae militaris inopiam obstitisse significat. Quam scientiam ad philosophiae quoque regnum pertinere, pro vinculo, quod inter omnes cognitionis humanae partes intercedit arctissimo, statuere summo jure poterat. Sed, ut in diversâ utriusque auctoris sententiâ utra vera habenda sit, decernere neque velim neque omnino possim, in universo tamen Plutarchi judicio est, quod desideres mirumque certe acciderit si causa, ab eo allata, fugisset Polybium, ad hujuscemodi profecto quaestiones agitandas multo aptiorem, cum praesertim in illius problematis solutione docte

esset diligenterque versatus. — Sed haec peritioribus dijudicanda relinquo.

Facilius illi refutari posse mihi videntur, qui, judicii temeritate ducti, veteratorem Aratum vocent et totum hoc strategematum clandestinorumque consiliorum negotium magno viro, celebratissimi certe foederis duce parum dignum judicent. Reputent enim illi, velim, foederis Achaïci causam initio sane multo magis Ulyssem desiderasse quam Ajacem, multumque posse dubitari, utrum strenuus ille et fortissimus operis Aratei propagator, Philopoemen, si aetàte Aratum antecessisset, gloriae suae theatrum aut omnino aut certe tam vastum nactus fuisset. Peloponnesi praeterea statum si quis attenderit, per rapinas caedesque tam crudeliter eam exagitatam et ab omni parte infestatam intelliget, ut, in latronum temere arma arripientium et obvium quemque pro lubidine adgredientium turbâ, justae aciei rectisque belli consiliis parum loci relictum videretur. Denique ex quo gloriosissimum illud Graeciae liberandae propositum suscepit Aratus, ab omni jam parte surrexerunt, qui, cum sibi metuerent, nullis non machinationibus usi, Achaeorum

illam optimis suffultam legibus et concordiâ conglutinatam rempublicam labefactare et diruere niterentur. Gladiis undique petebatur Aratus quos et vis aperta et vero fraus acuerat dolosa. Itaque aut valedicere debuisset egregio suo vitae instituto, aut ad propositum exsequendum, summâ utendum sollertiâ erat et cum Brasidâ apud Thucydidem omnino sic sentiendum: τὰ κλέμματα ταῦτα καλλίστην δόξαν ἔχειν ἃ τὸν πολέμιον μάλιστ' ἂν τις ἀπατήσας τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειεν [1]. Sed reliquam Arati indolem persequamur.

Erat in hocce viro comitate insigni condita gravitas, erant omnia, quibus, ut praecipit Cicero, vehementer moveri amor multitudinis solet: fama et opinio liberalitatis, beneficentiae, justitiae, fidei omniumque earum virtutum quae pertinent ad man-

---

1) Thucyd. V. 9. — Apprime in Aratum quadrant Pindari verba,

Pyth. II. vs. 84.

ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἅτ' ἐχθρὸς ἐὼν λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι,
ἄλλ' ἄλλοτε πατέων ὁδοῖς σκολιαῖς.

Cf. Isthm. III. vs. 65.

μῆτιν δ' ἀλώπηξ, αἰετοῦ ἅ, τ' ἀναπιτναμένα ῥόμβον ἴσχει·
χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντα μαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.

suetudinem morum ac facilitatem [1]). Blanda conciliatrix animorum sermonis affabilitas: tyrannidis odium tam ingens ut ultra terminos nonnunquam evagaretur. At vero animus excelsus, patriae amantissimus, diurnas omnes et nocturnas cogitationes ad salutem communem referens. Haec ei lex suprema, haec et amicitiae et inimicitiae norma erat. Quotiescunque de reipublicae causâ promovendâ deque concordiâ varias inter civitates stabiliendâ agebatur, quo tutiorem Aratus omnibus et beatiorem eo et sibi fructuosiorem vitam reputans, nonnisi aliis vivere aliorumque commoda amplecti videbatur atque tueri. Hinc praeclara illa et ad eximiam laudis praedicationem efficacissima vox, quae et in Achaeorum concilio et in coetu populi universo, uno omnium resonabat concentu, nihil eum adpetere, nihil amare, nisi quod pulchrum esset atque honestum [2]).

---

1) De Off. II. 9.

2) Egregie huc valet praeclarum Ciceronis dictum *de Orat. II.* 85. *Ea denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa aut periculosa aut certe gratuita.* Et in *Orat. pro Ligario c. XII. Homines enim ad deos nullâ re propius accedunt quam salutem hominibus dando.*

§. 3.

Aratus praetor Achaeorum. Occupatio Acrocorinthi.



De primâ Arati Praeturâ nihil ad gloriam perquam insigne relatum legimus. Boeotorum regione ab Aetolis eo tempore devastatâ, Achaei sive in auxilium vocati sive proprio cedentes impulsui, succurrere oppressis decreverunt. Cum decem millibus militum Aratus in oras ex adverso sitas vela dedit, at sero appulit. Ab Aetolis jam victi apud Chaeroneam Boeoti ducem et mille viros amiserant. Locridem Ara-

tus et Calydoniam populatus in Achaïam rediit [1]). In alterâ tamen Arati praeturâ, quam anno interjecto gessit, continuo memorandum facinus quod omnium maxime celebratum edidit; occupationem, inquam, Acrocorinthi, quam proditione Macedonibus eripuit, quâ nimirum effectum est, ut Corinthus foederi Achaeorum sese adjungeret, atque ingenti metu Peloponnesii solverentur. Enarrata autem haec sunt a Plutarcho ita, ut quae clandestinis consiliis ab Arato acta essent quaeque Aratus ipse in lucem tantum proferre potuit, luculenter exponat. Passim vero plura tam copiose exposita sunt, ut ex Arati commentariis descripta magis quam excerpta videantur [1]).

Acrocorinthus, ab hostibus occupata, infesta maxime atque formidolosa imminebat Peloponneso, et ad incolarum, si servitutis excutere jugum liberet, impetus retundendos eximie valebat. Factum autem hoc singulari plane loci opportunitate. Isthmus enim, sinum intercludens et Corinthiacum et Saronicum, Peloponnesum continenti adnectit. Acro-

1) Cf. Heeren, *De fontibus atque auctoritate vitarum Parallelarum Plutarchi, in Comm. Soc. Gött. Tom. III.*

Corinthus autem arx in monte sublimi, partim praefracto, quae munita praesidio, omne eorum, Plutarchum certe si audias, qui intra Isthmum essent, impediebat commercium, omnemque reprimebat expeditionem militarem et negotiationem sive maritimam illam sive terrestrem [1]). Hinc Philippus, Demetrii filius, compedem Graeciae Corinthi arcem vocabat, et si Achaeorum legationi apud Polybium l. XVII. p. 750. fides tribuenda, ne respirare quidem Peloponnesii neque cogitatione libertatis spem percipere poterant, quamdiu Corintho regium insideret praesidium. Haud mirum igitur Macedoniae reges quique dominari in Graecos cuperent, impenso studio connisos fuisse, ut validum illud belli propugnaculum in suam potestatem redigerent, redactumque firmiter tenerent. Inprimis vero An-

---

1) De Corinthi situ cf. Strabo l. VIII. § 21. ubi de arce haec: ὄρος ὑψηλὸν ὅσον τριῶν ἥμισυ ϛαδίων ἔχον τὴν κάθετον τὴνδ' ἀνάβασιν καὶ τριάκοντα ϛαδίων, εἰς ὀξεῖαν τελευτᾷ κορυφήν· καλεῖται δὲ Ἀκροκόρινθος, οὗ τὸ μὲν πρὸς ἄρκτον μέρος ἐϛὶ τὸ μάλιϛα ὄρθιον· — συμπεριείληπτο περιβόλῳ καὶ τὸ ὄρος αὐτὸ ὁ Ἀκροκόρινθος ᾗ δυνατὸν ἦν τειχισμὸν δέξασθαι· — Ἀπὸ τῶν ἄλλων μερῶν ἧττον ὄρθιόν ἐϛὶ τὸ ὄρος· ἀνατέταται μὲν τὸ ἐνθένδε ἱκανῶς καὶ περίοπτόν ἐϛιν.

tigonus Gonnatas insano ejus potiundi ardore incitatus fuit votique compos factus, senex cum esset summasque fortunarum vicissitudines expertus, haud minori affectus gaudio fuit quam cui Amyntae quoque filius, initio certe, indulserat postquam Chaeronensi victoriâ Graecorum libertatem tantum non deleverat totum [1]).

Aratus igitur, quippe cui facinus tam grande merito arrideret, jam antea rem sed frustra adgressus, iterum se accinxit, non Sicyoniorum adeo Achaeorumque commodis consulens, quam Macedones, communes totius Graeciae tyrannos ex arce expellere cupiens. Vividissimis illam expeditionem coloribus, quasi res geratur, depictam apud Plutarchum conspicimus. Audacem fortuna adjuvit. Dubites vero in negotio tam arduo et praeparando et exsequendo, audaciamne magis mireris, an vero, Plutarchum certe si audias, generositatem. De quâ paucis videamus. Dolo Aratus sibi procedendum intelligens, (quippe vi et palam frustra conaturus

1) Plut. in *V. Demosthenis c.* XX.

videbatur) nonnullos e praesidio quod in Acrocorintho Antigonus habebat, pollicitationibus tentaverat ad loci proditionem. Quum autem numerata pecunia, quanta satis esset, deficeret, neque mutuum sumendo suspicionem cuiquam instituti sui movere vellet, pleraque pocula et aureum uxoris mundum pecuniae comparandae causa pro pignore dedit. Nimirum, ait Plutarchus, menti ejus obversabantur generosa majorum facta, Phocionis imprimis atque Epaminondae. Hos Graecorum justissimos propterea et optimos habitos esse videns, quod magna repudiassent dona neque pecuniâ corrupti, deseruissent honestum: hos igitur intuens, ultro sibi in eam rem sua occulte eroganda duxit, in qua pro universis et quidem illud ignorantibus periculum subiret. *Τίς γάρ*, ita subjungit, *οὐκ ἂν θαυμάσειε καὶ συναγωνίσαιτο ἔτι νῦν τῇ μεγαλοψυχίᾳ τοῦ ἀνδρὸς ὠνουμένου χρημάτων τοσούτων κίνδυνον τηλικοῦτον καὶ τὰ τιμιώτατα δοκοῦντα τῶν κτημάτων ὑποτιθέντος, ὅπως παρεισαχθεὶς νυκτὸς εἰς τοὺς πολεμίους διαγωνίσηται περὶ τῆς ψυχῆς, ἐνέχυρον λαβὼν τὴν ἐλπίδα τοῦ καλοῦ παρ' αὐτῶν, ἄλλο δ' οὐδέν;*

Mirari tamen subit, tantas Plutarchum in hanc Arati magnanimitatem laudes profudisse. Fac enim, magni eum spem praeclari facinoris emisse incertam: at vero qnanto illud majus, quod, re feliciter procedente, erat consecuturus; quanta in eum gloria redundatura, si a Macedonici istius praesidii terrore liberare Peloponnesios contigisset!

Aratus igitur, ut Plutarchi narrationem brevi complectar, militibus quadringentis adhibitis, nocturno clandestinoque introïtu urbem ingressus, favente fortunâ, pulsis hostibus, arce potitur. Confecto negotio, sol statim illuxit. Hîc spectaculum se nobis offert, unum in paucis egregium. Partâ enim victoriâ, cum tuta jam viderentur omnia, heros, immensâ stipante catervâ, ab arce in theatrum descendit, ubi populi coetus haberi solebant. Confluxerant eo omnes, ut illius fruerentur conspectu sermonesque auribus arriperent, qui, post centum circiter annos, libertatis ipsis et salutis auctor esset. Utrâque transitûs parte ab Achaeis occupatâ, in medium Aratus de scenâ progressus est, thorace munitus, animo quidem exsultans, sed laetitiam

exantlati labores ita domuerant atque obscuraverant, ut plane vultu immutatus videretur. Effusi undique clamores exceperunt prodeuntem. Ille vero, hastam dextrâ tenens, et nonnihil in eam corpore reclinans, tacitus diu stabat, dum plausus acclamantium ejusque virtutem fortunamque celebrantium undique resonabat. Facto denique silentiò tumultuque composito, Aratus, tantum non exhaustos spiritus recolligens, haec fere ad causam maxime pertinentia locutus esse videtur. Felices praedicare Corinthios, libertate post longam servitutem denuo gaudentes, feliciorem se ipsum, qui tantae illis laetitiae auctor exstiterit; in memoriam revocare pugnas gloriosas, quas pro libertate tuendâ Hellas obiisset antiqua. Ad concordiam illos hortari et virtutem. Laudare foederis Achaïci institutum egregium; ut ipsi quoque participes ejus fieri vellent invitare, suadere, urgere. Neque frustra. Corinthii enim, illius sermonibus victi, civitatem Achaeis suam adjunxerunt, et tunc primum, a Philippi inde aetate, sui juris facti, portarum claves receperunt. Hinc statim Aratus fanum Iunonis et portum Lechaeum occupavit,

viginti quinque navibus regiis potitus est, equos quingentos et Syros quadringentos vendidit satisque firmo Acrocorinthum munivit praesidio. *Οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι*, inquit Plutarchus, *τὸν Φιλοποίμενα θαυμάζοντες Ἑλλήνων ἔσχατον προσηγόρευον, ὡς μηδενὸς μεγάλου μετ' ἐκεῖνον ἐν τοῖς Ἕλλησι γενομένου· ἐγὼ δὲ τῶν Ἑλληνικῶν πράξεων ταύτην ἐσχάτην καὶ νεωτάτην φαίην ἂν πεπρᾶχθαι, τοῦτο μὲν τόλμῃ, τοῦτο δὲ τύχῃ ταῖς ἀρίσταις ἐνάμιλλον* [1]).

---

1) Pol. II. 43. Paus. *Corinth.* c. 8 et 9. Plut. *Arat.* c. *XXIV.* Inprimis Helwing. Op. l.

§. 4.

Arati res gestae pro Graeciae libertate ad bellum Cleomenicum.

τὸ εὔδαιμον τὸ ἐλεύθερον.
Pericles apud Thucydidem.

Sic luctando progrediebatur Aratus, libertatis atque concordiae inter civitates egregius auctor. Capta Acrocorinthus signum multis sustulerat, reique, ut videtur, magnitudine perculsi, Epidaurii et Troezenii, qui Argolicum litus tenebant, victorum partes amplexi sunt, et vero extra Isthmum, Megara foederi juncta: Achaeorum quippe exercitus, e Peloponneso, veluti carcere soluti, latius jam et liberius vagari atque audere coeperunt. Hanc autem populi

haud ita pridem armorum gloriâ clari in dies mirifice auctam potestatem stupebant omnes, metuebant multi, pernitiem ei nonnulli minitabantur. Ab hâc parte Aetoli, de quibus dubites hominesne illos an vero feras voces, Peloponneso veluti praedae inhiantes [1]), ab alterâ, Antigonus, ob occupatam Acrocorinthum saevam vindictam spirans [2]); hinc Lacedaemonii, splendentem Achaeorum gloriam infuscare invidiose nitentes, illinc quotquot erant in Peloponneso tyranni, suarum civitatum ruinâ atque opprobrio potentes, regum Macedonum mercenarii vilissimi et tanquam instrumenta. Ne illos memorem qui privato in Aratum odio agitati atque invidiâ, rebus ejus prosperis dolebant, gaudebant adversis, neque infinitam etiam abjectorum hominum copiam, qui, cum servitutem jam adamassent, libertatis cursum inertiâ suâ mirum in modum tardabant.

---

1) ἐκπαθεῖς πρὸς τὰς ὠφελείας ὄντες. Polybius.

2) Attendas quaeso quam lepidis primum Antigonus machinationibus usus, egregiae spei juvenem calumniari apud Ptolemaeum ad suasque partes traducere conatus tuerit: quod cum parum sibi ex voto succedere, immo fortiter se oppugnari ab illo sentiret, clam eum trucidaturos subornat. in Vit. c. XV. et XXV.

In mediis Aratus tempestatibus, egregii sibi propositi conscius atque eximiâ fretus civium suorum benevolentiâ, haud contremuit. Obstacula victa ad majora vincenda animum ei addebant viresque. Apud foedus Achaïcum tantum jam ejus valebat auctoritas, ut, nisi singulis, alternis certe annis Praetor crearetur, omniumque quae gererentur auctor et veluti anima esset. Observandum autem, Aratum, cum ex regis Aegyptii amicitiâ redundare in populum suum fructus maxime salutares sibi persuasisset, Ptolemaeum socium adscivisse eique terrâ marique belli detulisse principatum [1]), ad unum quippe scopum omnia referens, ut Macedones Peloponneso ejiceret, tyrannides amoliretur, civitatum firmaret *αὐτονομίαν*. Age, libertatis illum acrem propugnatorem civitatesque ubivis Graeciae renascentes paullo diligentius animo contemplemur. Pertinebit autem illa, de quâ jam dicturus sum, aetas usque ad initia belli Cleomenici, viginti fere annorum spatium continens.

---

1) Quantum hoc nomine diversus a Philopoemene fuerit vide in *V. Philopoem. c. VIII.*

Magnopere dolebat Aratus, tot aliis dulces novae libertatis fructus carpentibus, jugo adhuc tyrannico illam opprimi civitatem, quae olim sibi puero „unde salutem sumeret" nescio, asylum tutissimum, quin altera patria fuerat. Foederis si commoda respiceret, magni omnino momenti erat, urbem illi adsociare, tam valide munitam, ut ne priores quidem Spartanorum reges, quantumvis multa ejus rei causa machinati, firmiter ad partes eam suas traducere potuissent [1]). Diu idcirco de tyrannide Argis expellendâ secum volutabat. Dolo primum, a paucis audacibus adjutus, tyrannum de medio tollere conatur, contentione vero inter facinoris socios obortâ, parum ex voto res successit. Paullo post, trucidato a servis suis Aristomacho, rapit imperium Aristippus, flagitiosior illo. Ubi res novas agitari sentit Aratus, cum subitariis Achaeorum copiis Argos advolat, promtissimos se incolas ad jugum excutiendum nacturum confidens. At vero Argivi, vinculis adsueti, libertatem tamquam summum bonum amplecti dedidicerant. Quocirca non plausu

---

1) *V. Cleomenis C. XVIII.*

faustisque acclamationibus aut bonis tacito pectore votis liberatorem excipere suum, non adjuvare fortiter, sed servitutem fovere, nemo ad illum deficere, mori sub tyranno turpiter quam vitam defendere malle. Unde, re infectâ, redire Aratus coactus est, illudque insuper fortissimi conatûs praemium tulit, ut bellum in pace movisse a tyranno accusarentur Achaei. Apud Mantineenses, qui tunc sub Macedonibus erant [1]), absente Arato, causa acta est, lisque Achaeis triginta minis aestimata [2]). Frustra dehinc Aristippus, (cujus vitam beatam atque invidendam vividis orationis coloribus descripsit Plutarchus [3]), adjutore Antigono Gonatâ, multisque se ad illud opus paratos ei praebentibus, laqueos tendebat viro inter suos spectabili et gratioso, cuique civium suorum benevolentia pro clypeo erat septemplici, quo adversariorum tela repelleret: quo in loco egregie phi-

---

1) Pausanias *Corinth. VIII.*

2) De hac lite Cf. Mannert, *Geschichte der unmittelbaren Nachfolger Alexanders l. III. c.* 6.

3) Ad egregium sistendum tyrannorum par conferatur omnino apud eundem imago Dionysii majoris *in V. Dionis. c. IX coll. Cicerone, Tusc. Quaest. l. V. c.* 20.

losophus Chaeronensis, *οὐδὲν οἷον ἀληθινὴ καὶ βέβαιος εὔνοια φυλακτήριον ἀνδρὸς ἄρχοντος· ὅταν γὰρ ἐθισθῶσιν οἵ τε πολλοὶ καὶ οἱ δυνατοὶ μὴ τον ἡγούμενον ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ ἡγουμένου δεδιέναι, πολλοῖς μὲν ὄμμασιν ὁρᾷ, διὰ πολλῶν δ' ὤτων ἀκούει καὶ προαισθάνεται τὰ γινόμενα*, et paullo post de Arato ita subjungit: *ὁ δ' οὐχ ὅπλοις κατὰ βίαν, νόμῳ δ' ὑπ' ἀρετῆς ἀκατάπαυστον ἀρχὴν περιπεποιήμενος, ἐν ἱματίῳ καὶ χλαμυδίῳ τῷ τυχόντι, τῶν πώποτε τυράννων κοινὸς ἀποδεδειγμένος ἐχθρός. ἄχρι τῆς τήμερον ἡμέρας, γένος εὐδοκιμώτατον ἀπολέλοιπεν ἐν τοῖς Ἕλλησιν.*

Saepenumero deinde Aratus, Argivorum quippe liberandorum desiderio flagrans, sive clam et per ambages strategematum, sive etiam palam tyrannum adgressus, quod summo studio sequebatur, assequi tamen nondum potuit. Cum copiis aliquando suis ad Chareta fluvium Aristippum adortus, diffidens victoriae, in castra sese recepit. Mox, pudore victus, ad pugnam iterum prodiit. Ubi vero hostilem exercitum auctum subsidiis sensit, Cleonas se contulit, urbemque illam, ut vitia bello commissa solerter compen-

saret, Achaeis adjunxit ibique Nemeorum ludos instauravit. Hìc autem nimio tyrannidis odio ductum Aratum deprehendimus. Cum enim Argivi quoque solita celebrarent certamina, quicunque Argis certassent perque Achaeorum proficiscerentur regiones, capti ab eo et tamquam hostes venditi sunt. Tunc primum, quod jure dolendum, auctore Plutarcho, fides publica atque securitas, certaminis sociis antiquitus concessa, violata est.

Argivorum urbs quominus caperetur, maxime etiam obstabant Macedonum in Peloponneso vires, eo quoque tempore haud contemnendae [1]. Arato enim, cum tyranni denuo copiis congresso, post reportatam victoriam splendidam, urbem occupare contigisset, nisi mox, caeso Aristippo, Agias et Aristomachus minor cum exercitu in illam regionem irruissent rebusque potiti fuissent. Sero demum, cum Demetrii, qui Antigono Gonatae successerat,

1) Mannert l. l. Observat idem Macedonum, possessiones in Argolide tunc inprimis fuisse; in memoriam autem lectoribus revocandum est, Epidaurum et Troezenen, duas illius regionis urbes primarias, statim post occupationem Acro-Corinthi, ad Achaeorum jam partes transiisse.

morte, opibus se regiis destitutum sentiret Aristomachus, Achaeorum inprimis metu commotus, faciliores Arati adhortationibus aures praebuit, pactoque inito, foederis particeps factus est [1]).

Post illius inprimis Demetrii regnum decenne, de quo in historiâ caeterum parum constat [2]), laeta in rebus Achaeorum obtinuit conversio opportunitatesque sibi Aratus ad inceptum suum exsequendum oblatas vidit exoptatissimas. Tunc enim, auctore Polybio, quotquot fuere in Peloponneso tyranni, spe omni destituti, partim ob Demetrii mortem, qui suis illos opibus sustentaverat [3]), partim ob imminentem ipsorum cervicibus Aratum, qui abdicare tyrannos volebat et sponte suâ imperium deponentibus magna praemia atque honores pollicebatur, renuentibus vero majora etiam mala minitabatur et pericula ab Achaeis timenda, consilium ceperunt, tyrannide sponte exutâ, patriam quisque suam liberandi et reipublicae Achaeorum adjungendi. Ita,

---

1) Polyb. II. p. 131. Plut. c. XXXV.

2) Cf. Heeren. *Staaten des Alterthums. p.* 323.

3) ὅς ἦν αὐτοῖς οἱονεὶ χορηγὸς καὶ μισθοδότης l. II. c. 44.

quos dixi, Argivi, Hermionenses quoque et Phliasii foederi nomen dederunt. De Lydiade tamen Megalopolitano historia, testis temporum, paullo majora canit [1]). Is enim cui, juveni, vana gloriae species mentis oculos ita perstrinxerat, ut, male sanus, patriam opprimeret suam, quum inconsultus ille fervor in pectore consedisset, recolligere se coepit, et nubem se pro Junone amplexum intelligens, vitae illi beatae valedicere, aemulari Aratum, de patriâ praeclare mereri, Achaeorum socius fieri decrevit. Hoc autem facinus quominus altiori celebremus voce, illud obstat, quod hunc quoque, prouti caeteros, metus angebat, ne invitus aliquando ad id cogeretur quod sponte nunc suâ peragere videbatur cujusque praemium splendidum tulit. Achaei enim, summis ejus virtutem laudibus extollentes, foederis eum saepius elegerunt Praetorem. Ambiguas tamen deinde partes egit. Sed de tyrannis satis dictum sit [2]).

---

1) Megalopolis, Polybii patria et Philopoemenis, urbs in Arcadia erat nobilissima *οὐδέν τι μείων οὐδ' ἀσθενεστέρα τῆς Λακεδαίμονος.* *V. Cleomenis.* c. XXIII.

2) Polyb. II. 44. Plut. *in V. Ar.* c. *XXX.*

De Aetolis, quorum supra barbariem attigi, quoniam iis oppugnandis Arati quoque virtus inclaruit, accuratius jam agendum erit. In hujus populi immanitate verbis exaequandà, vix sibi satisfacere videntur auctores. In Graecorum concilio, secundum Livium, Praetor Achaeorum, Aristaenetus, de Aetolis dixit: linguam tantum Graecorum habent, sicut speciem hominum. Moribus ritibusque efferatioribus quam ulli barbari, immanes belluae vivunt [1]. Tempore belli Peloponnesiaci, auctore Thucydide, maximam partem ὠμοφάγοι erant [2]. Latrocinari, Ciceronem si audias, honestum putabant [3]. Omnium vero maxime Polybius, quâvis opportunitate, in mores hujus gentis atroces invehitur, cujus loca singula persequi longum est [4].

---

1) Livius *l. XXXIV.* c. 24.

2) Thucyd. III. 94.

3) *De Republ. III.* 6.

4) Inp. II. 3. IV. 67. 79. cf. etiam Montesquieu, *Gr. et Déc. des Rom. ch. V. Les Etoliens étoient belliqueux, hardis, téméraires, avides de gain, toujours libres de leurs pa-*

Hi igitur assidui Graeciae praedones, quum eo jam progressi essent iniquitatis atque audaciae, ut cum Antigono Gonatâ de partiendis inter se Achaeorum civitatibus pactionem iniissent [1]), incursionem in Peloponnesum per Megaridem tentabant, quorum ut retunderet impetum Aratus, quartum Praetor [2]), collegit exercitum et a Lacedaemoniis, Achaeorum eo tempore sociis, auxilium impetravit. Cum ad Corinthum convenissent et Agis, rex Spartanorum, summo juventutis ardore, cum Aetolis, antequam Peloponnesum invaderent, pugnandum censeret: Aratus, quod primo adspectu mireris, obstitit. Causam vero in commentariis ipse suis sic retulit: consultius quippe visum sibi fuisse transitum hostibus concedere, frugibus jam prope omnibus ex agris perceptis, quam summam rerum

---

roles et de leurs sermens; enfin, faisant la guerre sur la terre comme les pirates la font sur mer. Heeren *Ideën III.* 1. *Sect.* 1. *Aetoler und Akarnaner blieben Barbaren als die Athenienser die Lehrer der Nachwelt wurden.*

1) Sic enim hunc locum interpretandum esse cum Schweighäusero censeo. Aliter Casaubonus. V. Polyb. II 43. IX. 34.

2) Sequor computationem Bayeri.

in Martis discrimen adducere. Conviciis igitur undique petitus, non ponebat rumores ante salutem. Neque spem exitus fefellit. Aetoli enim, Peloponnesum ingressi, Pellenen ceperunt. At vero Aratus repente eos lascivientes adortus, multis caesis, ex urbe expulit. Mox vero, multa quum, post Antigoni obitum, aliunde pericula, a Macedonum inprimis parte, imminerent Achaeis, exstinctis in praesens odiis atque simultatibus, non pacem tantum cum Aetolis sed sociale etiam contra Demetrium foedus inierunt atque amicae cujusdam conjunctionis species saltem inter utramque gentem obtinuit [1]).

Atqui armorum illam, quam modo dixi, consociationem, ab Achaeis et Lacedaemoniis ad Aetolorum impetum reprimendum initam, displicere intellexi auctori observationum super vitâ Agidis et Cleomenis [2]). Quocirca nonnullos in opere ejus er-

---

1) Polyb. II. 44. *τὰ μὲν τῆς ἀλλοτριότητος καὶ δυσμενείας ἤρθη κατὰ τὸ παρὸν, ὑπεγένετο δὲ κοινωνικὴ καὶ φιλική τις αὐτοῖς διάθεσις.* Cf. V. Arati XXXI—XXXIII. et V. Agidis XIII—XV.

2) *Observations sur la vie d'Agis et de Cleomènes. Cf. Mémoires de l'Académie Royale des inscriptions et belles lettres Vol. XIV.*

rores redarguere paucis conabor. Illorum populorum societatem ideo vix credibilem ait, quod Achaeis semper infestissimi Lacedaemonii fuerint. Et vero testatur Polybius II. 39. effectum aliquem aut memorabile ullum facinus ad res suas amplificandas Achaeos edere primis temporibus haud potuisse *τῷ μὴ δύνασθαι φῦναι προςάτην ἄξιον τῆς προαιρέσεως, ἀεὶ δὲ τὸν ὑποδείξαντα ποτὲ μὲν ὑπὸ τῆς Λακεδαιμονίων ἀρχῆς ἐπισκοτεῖςθαι καὶ κωλύεσθαι ποτὲ* rlq; neque animum illum hostilem, gliscente Achaeorum potentiâ, lenitum quis credat, qui cognoverit quam acriter cum iisdem bello Cleomenico conflixerint. Verumtamen nihil obstare videtur, quominus, proprio flagitante commodo, simulatâ amicitiâ, inveteratum odium ad tempus concoxerint. Similia certe in historiâ gentium occurrunt exempla. Aetolos autem hostilibus saepius incursionibus Laconicam etiam petiisse, ita ut maximopere sibi hujus regionis incolae a populo timerent tam barbaro, duo inprimis testantur in vitâ Cleomenis loca. Cap. XVIII°. ita de Spartanis Plutarchus loquitur: *οὕτω γὰρ ἔπραττον, τὸ πρὶν ταπεινὰ καὶ βοηθεῖν αὑτοῖς ἀδυνάτως εἶχον,*

ὥςε πέντε μυριάδας ἀνδραπόδων ἐμβαλόντας εἰς τὴν Λακωνικὴν Αἰτωλοὺς ἀπαγαγεῖν, et c. X^{0}. Cleomenes, in oratione illâ memorabili, quâ Ephororum deprecari caedem conatur, meliorem se rerum statum introducere Spartae affirmat *ὅπως οἱ κράτιςοι γενόμενοι Σπαρτιᾶται σώζωσι τὴν πόλιν τοῖς ὅπλοις καὶ παύσωνται τὴν Λακωνικὴν Αἰτωλῶν καὶ Ἰλλυριῶν λείαν οὖσαν ἐρημίᾳ τῶν ἀμυνόντων ἐφορῶντες*. — At vero, pergit idem, civitas pessundata (*une ville ruinée*), qualem eo tempore Spartam fuisse legimus, quomodo tandem ad juvandos Achaeos expedire potuit exercitum tam alacrem ad pugnandum, tam bene instructum, tam disciplinâ subactum, ut omnium raperet admirationem? Nonne eâdem illa constabat multitudine, quae, opibus honoribusque destituta in urbe desidere solebat; bella autem si quâ inferrentur, segniter animoque invito propulsans, rerum aliquam novarum occasionem semper circumspiciebat? Scilicet, ex ipsâ quae tunc Spartae obtinebat, rerum conditione illustrantur omnia: *ξένοι γὰρ ὄντες οἱ πλειςοὶ καὶ τὴν μὲν ἀπὸ τῶν χρεῶν ἄδειαν ἔχοντες ἤδη καὶ λελυμένοι τοὺς δ' ἀγροὺς*

ἐλπίζοντες, ἂν ἐπανέλθωσιν ἐκ τῆς στρατείας, νεμηθήσεσθαι θαυμαστοὺς τῷ Ἄγιδι παρεῖχον ἑαυτούς. Hinc militantium ardor atque ambitio, hinc subito, in turba ista inordinata, ordo eximius ducisque reverentia, hinc miri illi denique effectus, quos unius generosissimi juvenis ingenium procreaverat atque exemplum [1]. Auctor supra memoratus, Pausaniae, quem in manifesto versari errore, cum magnâ veri specie, contendit Bayerus, hujus igitur diversam amplectens narrationem, Plutarchi rejecisse fidem immerito videtur [2].

Sed in hoc etiam errare mihi graviter idem videtur, quod Antigonum, eo tempore, Lacedaemoniorum socium vocaverit, qui absolutâ in Peloponneso potestate valeret [3], quae si admittas, de Achaeorum certe possessionibus eorumque ad Graeciam liberandam institutis conatibus mox conclamatum fuisset. Sed ad reliquas Arati res gestas pergendum est.

---

1) Cf. *v. Agidis* V. et XIV.

2) Cf. Heeren Op. l. p. 77. in Nota. *Fasti Ach. ill. Cap. II. Sect.* 10. Cf. inprimis Manso, *Sparta, in supplemento XIV. ad Vol. III.*

3) *Son allié tout-puissant dans le Péloponnèse.*

Hujus praeclarissimum viri inceptum Peloponnesi finibus haud circumscriptum erat, sed, facem libertatis sublime adtollens, amissam populis salutem reddere ubivis conabatur. Athenas inprimis ut a jugi Macedonici opprobrio liberaret, indefesso incumbebat ardore. Verum Athenienses a majorum virtute mirum in modum degeneraverant, et, quasi obliteratâ penitus gloriae pristinae memoriâ, abjecte regibus adulabantur. Illorum profecto vix posteros agnoscas, qui apud Marathonem quondam et Salamina immortale sibi decus pepererant [1]). Occupatâ Acrocorintho, Megaram, extra Isthmum sitam, ad Achaeorum transiisse partes, supra observatum est. Eâdem opportunitate, Aratus, in Atticam excurrere ausus, eos, qui ingenui capti erant, Atheniensibus, redem-

---

1) ,, *Les Athéniens n'étonnoient plus le monde que par leurs ,, flatteries envers les rois.* Montesquieu Op. l. c. 5. — De immodicis istis servilibusque in regum gratiam praestitis honoribus, egregie disputat Plutarchus in *V. Demetrii Poliorcetis* c. XXX. Generosam ejus attendas indignationem, ib. c. XII: Ἦν δ' ἄρα καὶ πυρὸς ἕτερα θερμότερα.

tionis praemio repudiato, dimisit: id solerter agens, ut defectionis inter illos semina dispergeret. Iterum deinceps iterumque, tenax propositi, Piraeum adgressus, propter irritos identidem conatus, haud despondit votique tandem compos factus est. Pauca nobis, sed gravissima ea, super hoc argumento, servavit Plutarchus, de quibus jam agendum erit.

Aratus, inquit, Athenienses liberare cupiens, male audivit apud Achaeos, quod, quum foedus ipse cum Macedonibus iniissent induciasque pacti essent, Piraeum occupare conatus esset: de cujus foederis naturâ cum parum nobis constet, quantum in violatorem culpae redundaverit, difficile conjectu videtur. Vitii autem, qualiscunque tandem, admissi, conscium sibi visum Aratum, ex ipsa ejus excusatione merito efficias. Crimen enim in commentariis suis a se amoliri conatus, omnem in Erginum, quo in arce Corinthi occupandâ usus fuerat, culpam confert. Hunc, injussu suo, Piraeum tentasse perhibet scalisque attritis cum fugeret et ab hostibus premeretur, continenter Aratum nominatim inclamasse, tamquam praesentem, atque ita, deceptis hos-

tibus, effugisse. Habere nobis videmur reum confitentem. Ejusmodi enim defensionem vix admitti posse, plane adsentimur Plutarcho, parumque credibile videtur, nisi duce et auspice Arato, inceptum tam grave a Syro isto fuisse tentatum. Quid? in ipsis illis commentariis multa se perpessum et temere ausum affirmat, ut urbem Macedonico praesidio liberaret. Quid quid est, rem parum perspectam relinquere aliis dijudicandam malo, quam ipse in levitatis temeritatisque crimen incurrere.

Antigono mortuo, cum ad Demetrium regnum pervenisset, majore etiam studio in Athenas occupandas incubuit, spretis omnino Macedonibus. In illis autem pro ingratissimae civitatis salute generosis conatibus, nescias profecto, Atheniensiumne magis deplores abjectam et prostratam conditionem, an vero Arati mireris et moderationem animi et placabilitatem. Cum enim a Demetrii aliquando duce pugnâ esset superatus, multusque increbruisset rumor, caesum eum captumve esse: Diogenes, Piraei praesidio praefectus, missis Corinthum literis, eâ urbe Achaeos, mortuo quippe Arato, cedere jussit. Forte

tunc ille Corinthi versabatur. Ignominiose discesserunt legati. Ipse rex navim e Macedonia misit, quâ ad se vinctus Aratus adveheretur. Athenienses autem, ut primum de obitu ejus renuntiatum est, qui tot pro ipsis tantisque vitam sponte suam objecerat periculis, (vix credas!) effusissimi signa gaudii dederunt, sertis capita sua ornarunt: quia servi manserant! — Aratus, justissimâ irâ commotus, irruptione statim in Atticam factâ, cum jam ad Academiam usque processisset, exorari se passus est incolisque pepercit [1]. Decem circiter annis praeterlapsis, quum, Demetrii morte, novus in Macedonia rerum status obortus esset, libertatisque recuperandae desiderium, in Atheniensium denuo animis, exarsisset, Arati potissimum invocarunt auxilium, cujus famam tota celebrabat Graecia cujusque ipsi quoque virtutem animumque excelsum agnoscere tandem coeperunt. Ille, quamvis et alius tunc Praetor Achaeorum erat et ipse diuturno morbo decumbebat,

---

1) Num loci reverentiâ ductus, quem in V. Demetrii c. VIII. Plutarchus vero aeque atque superbo insignivit epitheto: ὥσπερ σκοπὸν τῆς οἰκουμένης?

libertatis causae toto adhaerens animo, lectica Athenas advectus est, praefectoque praesidii persuasit, ut, acceptis centum et quinquaginta talentis, quorum ipse viginti contribuit, Piraeum, Munychiam, Salamina et Sunium Atheniensibus redderet. Facta haec Athenarum deditio, a°. Achaïco 52°, ab u. c. 525, Lydiade tertium Praetore. Sub ipsum illud tempus Achaeis accesserunt Aeginetae et, quos jam dixi, Hermionenses. Pleraeque etiam Arcadiae civitates illorum partes amplexae sunt [1]).

1) Cl. *V. Arati* c. XXXIII. et XXXIV. coll. *V. Cleomenis* c. XVI. Pausanias *Corinth.* c, VIII. *Fasti Ach. ill.* II. 6.

CAPUT II.

ARATUS ET CLEOMENES.

Σκοπεῖν τὰ πράγματα μὴ πικρῶς
ἀλλ' ἀνθραπίνως.
Aratus apud Polybium.

Ad illa jam tempora pervenimus, quibus foedus Achaïcum cum republica Spartanorum acri collisum certamine, utinam non ita vicisset! Belli enim Cleomenici exitus, ut victo tristis, victori longe tristior fuit. Quoniam autem cum Arati vita res Cleomenis, nexu tam arcto, cohaerent, ut, nisi de hujus viri indole atque consilio accurata instituatur disquisitio, illius etiam facta neque aestimari neque

vere dijudicari possint: age, qualis fuerit, pervestigemus, quidque moliens, opportunitatem praebuerit Arato, ut foederis Achaïci propugnator acerrimus, desperatissimo perfugio usus, opus ipse suum, tam arduum illud tamque praeclarum, manu velut impiâ, infringere sustineret. Cum vero et in omni expositione historicâ graviori et maxime, ubi de virorum illustrium fatis eorumque moribus perscrutandis agitur, jure postulatur, ut, quibusnam auctores testibus usi quosque duces secuti, sua tradiderint, quam religiose inquiratur: ad meum quoque institutum pertinere vel maxime censui, Polybii et Plutarchi de Arati rebus atque Cleomenis tradita, quali ex fonte manàrint, indagare sedulo paucisque exponere.

---

§ 1.

Fontes, quibus in Arati et Cleomenis rebus exponendis Plutarchus et Polybius usi sunt.



Neuter igitur illorum, quos laudavi, scriptorum ignorare nos duces suos primarios voluit, sed, passim ad illos expresse provocando, quantum ipsis tribuerint, disertis simul verbis pronuntiant. Memorabile primum hac in causa videtur, ipsum Aratum reliquisse commentarios, in quibus res, suâ aetate gestas, exposuerit [1]). Hi ubi desinunt, suam

1) Quamvis de anno, quo initium narrandi fecerit Aratus, non accurate constat, eum saltem a Sicyone liberata i. e. ab a°. 250 a. C. incipere debuisse, res ipsa docet. Progressus est, Polybio teste ad Olymp. CXL. [i. e. 220 a. C, ita ut triginta, ad minimum, annorum spatium comprehenderit. Praeter Achaeorum autem, Spartanorum quoque res in iis expositae fuerunt, et copiose omnia tractata fuisse viden-

uberiorem historiam se exorsum esse profitetur Polybius l. IV. c. 2. eosque, singulari cum fide perspicuoque sermone perscriptos, *λίαν ἀληθινοὺς καὶ σαφεῖς* l. II. c. 40, in rebus gestis Cleomenis exponendis, sequi maxime constituit [1]. Observandum autem inprimis mihi videtur, nisi auctoris fides extra omnem dubitationis aleam posita sit, ejusmodi, ab ipso rerum actore scripto mandata, quod ad factorum maxime incitamenta attinet, non minus saepe eo valere, ut in errorem inducant lectores, quam illis viam ad accuratiorem eventuum eorumque causarum notitiam munire videantur: quod inprimis valet, ubicunque de crimine, ob dedecus aliquod, ab ipso auctore admissum, expurgando agitur. Commode enim huc quoque Ciceronis illud referri possit: »Tu hoc non vides quam blanda conciliatrix »et quasi sui sit lena natura [2]?" Quotus enim

tur; librorum enim numerus in quos dividebantur, ultra triginta adsurgit. Anonymus in Vita Arati poëtae: *Τρίτος Ἄρατος Σικυώνιος οὗ ἐστιν ἡ πολύβιβλος ἱστορία ὑπὲρ τὰ τριάκοντα βιβλία ἔχουσα.* Vide Heeren Op. I.

1) II. 56. *Ἀράτῳ ἡμῖν προῃρημένοις κατακολουθεῖν περὶ τῶν Κλεομενικῶν.*

2) *De Nat. Deor. I. 27.*

quisque, delicto paullulum graviori obnoxius, famâ suâ veritatem potiorem ducat? Quocirca plane adsentiendum Heynio dicenti existimo: „Aratum de „se suisque consiliis non male tradidisse, facile in„telligi [1]).“ Quid? quod Polybius ipse nonnulla eum in commentariis omisisse testatur [2])? Qualia ista fuerint, quivis, me non monente, perspiciet. Quomodo autem reticentia illa, haud parum suspecta, cum fide conveniat singulari, quam scriptis Arati tribuit Polybius, ipse hic viderit. Caeterum gratulandum omnino veritatis causae foret, si, quae ab Arato, ad invidiam facti sui leniendam, minus integre tradita fuissent, animadvertisse Polybium correctaque posteritati mandasse, statuere liceret [3]): quod quo facilius eum agere potuisse admittamus, facit viri

---

1) In Comm. cui titulus: *Foederatarum rerum publicarum coalitio vix unquam satis fida exemplis ex antiquitate illustratur. In Nota. Opusc. Vol. III. p.* 167.

2) II. 47. ὧν χάριν ἔνια τούτων οὐδ᾽ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι κατέταξεν.

3) Cf. quae monuit vir. cl. van Goudoever, in oratione sua, *de antiquis historicis cum recentioribus comparatis* edit. prioris p. 26.

aetas, a rebus gestis Arati non nimis remota, quin, aliunde edoctus, accurate permulta resciscere potuerit, et ingenua ejus, plurimis scriptorum suorum locis, professio, nullo se, nisi veri studio, duci, et Plutarchi locus, in vitâ Arati c. XXXVIII. ubi, hujus et Polybii distinguens tradita, majorem Polybio tribuere auctoritatem videtur. Quatenus autem hujus quoque auctoris gravissimi dicta in dubium vocari possint, infra indicandum erit.

Scripta igitur laudata Plutarcho quoque praesto semper fuisse, tum ex hoc, tum ex aliis passim locis videmus. Ita in V. Arati c. III. commentarios eum reliquisse ait obiter raptimque, neglectâ oratione, conscriptos: *ὑπομνήματα ἃ (παρέργως καὶ ὑπὸ χεῖρα διὰ τῶν ἐπιτυχόντων ὀνομάτων ἁμιλλησάμενος) κατέλιπεν.* C. XXXII. a superstiosis illos vacare affirmat. C. XXXVIII. perstringit Aratum ob convicia, quibus reges sui temporis, Antigonum Gonatam v. c., laceraverat. In Arati caeterum vitâ quum plura legantur, quae, nisi hic, nemo facile scire posset, multa Plutarchum exinde petiisse, vel nomine ejus non expresso, perspicuum esset. — In Cleomenis etiam

vitâ saepius, nomine addito, ad Arati provocat commentarios.

Fons alter primarius ex quo et Polybius et vero maxime, in vitâ Cleomenis, hausit Plutarchus, Phylarchus fuit: quo, multâ tamen cautione adhibitâ, usos eos fuisse, ex judiciis, ab utroque de auctore illo prolatis, jure effici potest [1]). Ita Plutarchus in V. Arati c. XXXVIII. *ὁμοίως δὲ*, ait, *καὶ Φύλαρχος ἱςόρηκε περὶ τούτων* (de causâ et origine belli Cleomenici) *ᾧ, μὴ τοῦ Πολυβίου μαρτυροῦντος, οὐ πάνυ τι πιςεύειν ἄξιον ἦν· ἐνθουσιᾷ γὰρ, ὅταν ἅψηται τοῦ Κλεομένους, ὑπ' εὐνοίας καὶ, καθάπερ ἐν δίκῃ, τῇ ἱςορίᾳ, τῷ μὲν ἀντιδικῶν διατελεῖ τῷ δὲ συναγορεύων.* „Pari modo de his scribit Phylarchum, cui, „nisi testis accederet Polybius, non sane fides foret

---

1) Perscripserat Phylarchus, Suida teste, historias suas 28 libris comprehensas, quae a Pyrrhi in Peloponnesum expeditione incipiebant i. e. ab a. C. 272. usque ad Ptolemaei Euergetis mortem a. C. 221. vel ipsam Cleomenis caedem. De hoc Phylarcho cf. inp. Vossius l. I. *de Historicis Graecis cap.* 17. — Animadvertendum autem hoc loco videtur Phylarchum fuisse Atheniensem et vixisse in aulâ Ptolemaei Euergetis, quo duplici nomine infensum eum maxime Macedonibus fuisse tradit Gillies. Op. l. c. XIII. in Notâ.

„adhibenda. Nam ubi res Cleomenis adtingit, „prae studio, quo in illum fertur, motu quodam „afficitur fanatico, et, veluti in judicio, sic in his- „toria, huic perpetuo patrocinatur, illum (Aratum) „oppugnat."

Phylarcho vel maxime diffidendum affirmat etiam Polybius l. II. c. 56. *καθόλου μὲν οὖν*, inquit, *ὁ συγγραφεὺς οὗτος, πολλὰ παρ' ὅλην τὴν πραγματείαν, εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχεν εἴρηκεν·* „multa quidem omnino „auctor ille, in universo opere, temere ac sine ju- „dicio scripsit." parumque interdum veri ratione habitâ, et Historici officio neglecto, exornasse eum narrationem atque adulterassse, tragoediasque movendo, id sibi inprimis propositum habuisse contendit, ut animi excitaret affectus et ad commiserationem lectores flecteret. cf. II. 58 et 59.

De hoc autem argumento, quamvis amplior omnino dicendi materia suppeteret, (alii enim auctores, Plutarcho inprimis, ad manum fuerunt): quoniam opus exstat viri, de interiore fontium Plutarchi disquisitione, praeclarissime meriti, Heerenum

dico [1]. plura nunc loqui supersedeo. Hoc unum monendum etiam videtur: si in quo alio facto historico considerando, hîc inprimis, fontium naturam esse respiciendam, seduloque cavendum, ne plus merito uni alterive auctoritatis tribuatur. Habemus Aratum, suam ipse causam cum ageret, nonnihil suspectum. Habemus Phylarchum, auctore Polybio, facta mutantem, amplificantem, ornantem, tragoedo denique quam historico similiorem. Polybius, ubi sui tamen juris esse potuit, nimium quantum Arati vestigia premit. Plutarchus ab aliorum plurimum fide pendet. De rebus gestis loquor exponendis, non dijudicandis: nam in hoc philosophus Chaeronensis plane suus est.

---

1) Cf. *Comm. Soc. Gött. recent. Vol. I, III et IV.*

§. 2.

CLEOMENES.

Postquam Agis III., juvenis, vix unquam satis celebrandus, generosissimos antiquae Spartae resuscitandae conatus morte luerat acerbissimâ [1]), opus derelictum audacter consummandum suscepit **Cleomenes**, vir, si quis alius, tanto negotio par. Ardentibus natus cupiditatibus doctrinâ stoïcâ vim promoverat insitam. Quocirca in proposita quaeque cum impetu ruere: vi quam persuasione uti malle: pulcherrimum ducere imperare volentibus, pulchrum etiam invi-

---

1) Cf. *V. Agidis*. Diversam Pausaniae de morte Agidis sententiam repudiant Simsonus *in Chronico ad a.* 3764. Bayer *in Fast. Ach. c. II. sect.* 10. quibuscum convenit Cicero *de Off. II*, 23.

tos ad meliora adigere. Gloriae studium ingens et dominandi lubido. Caeterum summa in eo cernebatur temperantia, morumque severitas: cultu victuque simplex: subditorum animos eximiâ captabat comitate et benevolentiâ [1]: in colloquio cum amicis gratia blanda jocique festivitas. Mentem si spectes, fortem illam, strenuam, consiliorum obstaculis rebusque adversis invictâ obluctantem pertinaciâ, vix ullum unquam Sparta tulerat digniorem. Verbo, si Polybium audias, tum in vitae consuetudine, dexteritatis cujusdam singularis, tum etiam ad negotia tractanda, ad ducis vel regis munera obeunda, egregie a naturâ comparatus fuit [2]).

Eadem Spartanorum reipublicae corruptela, cui sanandae intentus, juvenis ille, fato meliore dignus, misere perierat, acri nunc stimulo urgebat Cleomenem, ut ipse etiam manus operi admoveret praeclaro, salutaribusque institutis pristinam disciplinam reprae-

1) Cf. *V. Cleom. c. XIII.* ἐκηλοῦντο καὶ κατεδημαγωγοῦντο καὶ μόνον ἀφ' Ἡρακλέους αὐτὸν ἔφασαν γεγονέναι.

2) *Polyb. V.* 39. *coll. Plut. in Vitâ Cleom. c. I, II et XIII.*

sentaret, sibi denique Spartam redderet. Augebat rei permagnam difficultatem auctoritas regia, tyrannicâ Ephororum dominatione graviter oppressa: cujusmodi frenum regis animus, impatiens jugi, gloriae imperiique avidissimus, eo reluctantius tolerabat, quo propria infringi jura sentiebat insolentius. Hinc duplex primo ejus menti obortum videtur consilium, alterum tamen implicitum altero et veluti subnisum: novum videlicet rerum ordinem Spartae inducendi et vindicandi regiam dignitatem ab Ephororum arrogantiâ atque arbitrio. Videamus, quomodo arduum illud negotium et praeparatum et peractum fuerit.

Existimabat Cleomenes felicem conatuum suorum eventum tum maxime sperari posse, si, bello praeclare gerendo, et famam sibi, et majorem in rebus civitatis suae comparasset vim atque auctoritatem. Hinc omnia egit ut Spartanorum in Achaeos invidiam aleret, pericula ab horum foedere imminentia amplificaret, rerum militarium apud suos excitaret ardorem, omnique ratione utriusque populi hostilem concursum acceleraret. Ab alterâ parte Achaei,

duce Arato, magis magisque per Peloponnesum invalescentes, cum Lacedaemoniis etiam manus conserendi studium plus semel significaverant, bellique ultro opportunitates obtulerant. Appropinquante periculo, Ephori primum mittunt Cleomenem ad castellum, in faucibus Laconiae situm, occupandum, quo ab hostium impetu forent tutiores. Re feliciter peractâ, regem, in Arcadiâ paucis cum copiis castra metatum, revocant, metuentes, auctore Plutarcho, bellum, et vero ducem potius, ut videtur, bello inclarescentem et juvenili vigore audentem. Instante iterum hoste, iterum emittitur. Pugnam declinare Aratus, exsultare ideo et superbire Cleomenes. Postquam Eliis deinde contra Achaeos succurrendo, insignem de illis victoriam reportaverat, sententiam prorsus mutarunt Lacedaemonii eique bellum gerere cupienti obstiterunt. Luxuriâ quippe alii et voluptatibus deliniti, inertiae omnes adsueti vitaeque otiosae, patriae caeterum gloriam salutemque communem parum respicientes, a militiae periculis durisque laboribus toto abhorrebant animo: quantum mutati ab illis, quibus prae omnibus aliquando arma bellique tu-

multus arriserant. Primarium tamen Cleomeni objectum obstaculum Ephori erant, qui, cum auctoritatis suae, nullis jam terminis circumscriptae, eversionem, ab ambitiosissimis regis conatibus merito timerent, vehementem ejus impetum bellandique cupiditatem reprimere omni ope conabantur. Ad hos igitur adversarios molestissimos superandos, varias Cleomenes vias iniit. Primum enim, quum ita censeret, regno integritati suae restituto, Ephororum potentiam fore infirmiorem [1]), statuit Archidamum, fratrem Agidis, ad quem ex alterâ familiâ regnum pertinebat, Messenâ, quo effugerat, Spartam evocare. Ille tamen, in patriam redux, sive adnuente Cleomene, sive invito [2]), trucidatus est. Mox, efficacissimo apud homines venales usus instrumento, corrumpit Ephoros pecuniâ, ut expeditionem sibi militarem decernerent. Educit copias Achaeosque iterum, apud Megalopolin, vincit. Hinc altiores jam sumens spiritus, sibique persuadens fore, ut,

---

1) *Cf. inp. V. Agidis c. XII.*

2) De caede Archidami cf. *V. Cleom. c. V. Polyb. V.* 37, *VIII.* 1.

si suo arbitratu bellum administraret, victoriâ facile potiretur, Megistono vitrico significavit, sublatis Ephoris, bona civibus in commune esse conferenda, et, pristinâ aequalitate restitutâ, Spartam esse excitandam, et vero evehendam ad totius Graeciae principatum. Quo adsentiente, duobus tribusve amicis adhibitis, rem statim adgreditur. Illi jam cives, quos instituto suo refragaturos maxime censebat, longis itineribus, hac illac, solerti consilio, defatigati, ut in Arcadiâ remanerent, flagitabant plerique. Ipse igitur cum mercenariis militibus Spartam petiit, inque itinere, quibus maxime fidebat, aperuit consilium. Deinde sensim progressus est, in coenâ Ephoros deprehensurus. Quatuor ferro interemti. Unus, vulnere accepto, superstes fuit. Ex illis, qui ad auxilium afferendum accurrerant, decem caesi. Abstinuerunt a quiescentibus neque ex urbe egredientes prohibuerunt.

Ortâ luce Cleomenes octoginta cives proscripsit, sellisque Ephororum remotis, unam reliquit, quâ sedens ipse jus diceret. Populi deinde convocatâ concione, orationem habuit, quâ in Ephororum im-

potentem acerbamque dominationem acriter invectus, quae lenioribus haud sananda essent remediis, ferro se, auctore Lycurgo legislatore, sanasse professus est. Caeterum, hoc sibi esse propositum, ut, agris in commune dividendis, debitoribus aere alieno liberandis peregrinorumque instituendo delectu, ad pristinam divinamque reipublicae formam Spartam revocet. Hinc, regis ad exemplum, cives omnes bona in publicum contulerunt agrique divisi sunt, iis quoque, quos exulare jusserat, partes adsignavit, omnesque, rebus pacatis, in patriam se reducturum promisit. Civium deinde numerum, lecto de finitimis praestantissimo quoque, supplevit, ita ut quatuor millia ferre arma possent. Emendatâ re militari, ad adolescentium se convertit institutionem statimque instauratus est exercitationum Gymnicarum et Syssitiorum mos, sponte plerisque eo accedentibus. Ipse tamen Cleomenes, quo invidiam, ut perhibetur, quasi regnare unus vellet, a se averteret, fratrem suum regni socium adscivit.

Haec praemittenda utique de hoc viro ejusque facinore omnium maxime nobilitato duxi, ut aliqua-

tenus saltem perspiceretur, qualis exstiterit is, quîcum de summa rerum Arato contentio fuit. Fusius tunc agendum erit, quando Polybii et Plutarchi dissentientes de eo opiniones sum expositurus. Nunc belli Cleomenici, de quo jam pauca, re postulante, memoravi, causas atque opportunitates, dein, quaenam Arati maxime in eo partes fuerint, investigemus.

---

§ 3.

Bellum Cleomenicum.



Τύχη δέ τις ἔοικε δαιμόνιος ἐν περιφορᾷ πραγμάτων εἰς ἐκεῖνο καιροῦ συμπεραίνουσα τὴν ἐλευθερίαν τῆς Ἑλλάδος ἐναντιοῦσθαι τοῖς πραττομένοις.

Plut. in V. Demosthenis.

Quicunque Arati pro salute Graeciae efficacissime hactenus institutos conatus paullo diligentius animo consideraverit: facile, credo, in hanc adducetur persuasionem, primarium ei fuisse propositum, diuturnorumque laborum consilium, ut, totâ aliquando Peloponneso in unius reipublicae consociationem adactâ, firmissimum sibi contra Macedonum potentiam pararet praesidium. Et vero sentiebat

vir rerum civilium peritissimus, quando varia hujus Paeninsulae membra in unum veluti corpus coäluissent, ab omni eam exterorum hostium impetu fore tutissimam. Acerrimâ ejus atque haud intermissâ vigilantiâ flagrantique libertatis ardore, magna sane in eum finem peracta erant; at, majora peragenda supererant, et, quod omnium maximum erat et difficillimum, Sparta etiam foederi adsocianda. Hanc enim civitatem pro innata superbia atque infenso in Achaeos animo, si unquam, iisdem certe, quibus caeterae, legibus et conditionibus, sponte suâ haud accessuram esse, facile cuique patebat: quantam autem, quod cogere invitam voluerit, Arato ejusque reipublicae tulerit perniciem, luculenter sequentia docebunt.

His perpensis, belli Cleomenici causam perquirenti primariam, nullum, credo, dubium remanebit, quin Arato ejusque pro Graecarum civitatum et concordia stabilienda et foedere in dies amplificando nunquam hactenus interruptis conatibus sit adtribuenda. Cum autem illius foederis per Aratum amplificatio maxima in illa ipsa tempora incideret,

quibus regi Spartano, ob singulare ejus, de quo vidimus, institutum, bello nihil erat optatius: factum exinde videtur, ut inter duas hasce respublicas jam diu concepta inimicitia in apertum eo citius bellum erumperet. Accedebat, quod Aetoli, auctore Polybio, stimulati invidiâ, pro insita ingenii improbitate atque avaritia, speque maxime ducti dividendi conjunctas inter se invicem urbes Achaïcas, cum propter recentissimam beneficii memoriam ab Achaeis bello Demetriaco accepti, palam quidem bellum illis inferre, pudore quodam cohibiti, non auderent, Cleomenem tamen exacerbare ejusque odium augere omnibus viribus, vel proprio dispendio niterentur [1]. Utrumque certe ducem ad pugnam ultro accinctum videmus, hoc tamen discrimine, ut alter juvenili temeritate et nihil non audere paratus, maturior alter et senili magis cautione in arenam descenderet. Illi paranda gloria, huic jamdudum parta vindicanda erat.

Ut igitur pateat, uter belli facem prius accende-

---

1) II. 46.

rit, audiamus Plutarchum in Vita Cleomenis c. III. ita disputantem: ἐπεὶ δὲ, τῶν ἄλλων σχεδὸν ἁπάντων αὐτῷ προσγεγονότων, ἀπελείποντο Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἠλεῖοι καὶ ὅσοι Λακεδαιμονίοις Ἀρκάδων προσεῖχον [1]), ἅμα τῷ τὸν Λεωνίδαν ἀποθανεῖν παρηνώχλει τοῖς Ἀρκάσι καὶ περιέκοπτεν αὐτῶν μάλιςα τοὺς τοῖς Ἀχαιοῖς ὁμοροῦντας ἀποπειρώμενος τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τοῦ Κλεομένους ὡς νέου καὶ ἀπείρου κατοφρονῶν. Aratus igitur, mortuo rege Leonida, cum ejus filii, Cleomenis, juventutem imperitam contemneret, hanc sibi praeclaram opportunitatem ratus, Arcades primum Achaeis conterminos sollicitare bello coepit, ut Lacedaemoniorum animos tentaret. Quâ in re, parum praevidisse videtur, contemti istius juvenis quantopere mox et rerum militarium usum et vehementem audaciam esset reformidaturus. Ejus profecto si vastum animum, si indomitam ambitionem effrenemque dominandi cupiditatem vel leviter fuisset suspicatus: arctioribus, credo, Achaeorum rempublicam circumscrip-

---

1) Uti Tegea, Mantinea, Orchomenus.

tam limitibus servare maluisset, quam illius in se impetum provocando, omnem vitae fructum in tantum discrimen adducere. Videtur enim Cleomenes, quod inprimis observandum est, principatûs Graeciae obtinendi tunc potissimum arripuisse cogitationem ambitioseque fovisse, postquam, prosperrime cum Achaeis bello decertans, vires cognoscere suas iisque confidere didicerat.

Quem igitur despexerat primum et pro nihilo duxerat, mox suspicere eundem, ab eoque sibi cavere coepit. Post enim quam Cleomenes per dolum atque occultam proditionem esset ipsos adortus, et, faventibus maxime Aetolis, Tegeam, Mantineam et Orchomenum intercepisset, Aratus et caeteri Achaeorum proceres neminem quidem bello sibi provocandum, Lacedaemoniorum autem conatibus adversandum esse statuunt. Post vero quam Cleomenem viderunt, in Megalopolitanorum agro, magnâ audaciâ, Athenaeum munire et apertum acremque hostem se gerere: tum demum, Achaeorum concilio convocato, decretum factum est, Lacedaemonios hostes palam esse habendos. Hac autem expeditio-

ne, qualis aliquando esset futurus, tam luculenter rex Spartanus demonstravit, ut fuerint, qui Aratum monerent: si quid adversus Lacedaemonios moliretur, properandum ei esse, antequam pullo huic aculei nascerentur. Ab hoc principio, auctore Polybio II. 46. bellum coepit, quod Cleomenicum est appellatum, tum Achaeis illud, tum Spartanis exitiosum. Non mihi propositum est, enucleatam hujus belli tradere historiam, sed qualis in eo Aratus maxime appareat, quantum per fontes licet, investigare.

Cleomenes igitur, quum, jubentibus Ephoris, Athenaeum ad Belbinam occupasset et muris praesidioque firmasset, Aratus, nullâ expostulatione factâ, collecto statim exercitu, invasionem fecit in Arcadiam, ut Tegeam atque Orchomenum hostibus surriperet. Haec autem expeditio cum propter proditorum quorumdam timiditatem minus prospere cessisset, reducere exercitum coepit, rem latuisse existimans. Cleomenes vero, utpote juvenis, fortunâ secundâ nimium exsultans lepideque dissimulans, ab eo per literas, quasi ab amico, sciscitatus est: quor-

sum noctu tetendisset? Respondente Arato, se, postquam de Belbinâ illum muniendâ agitantem consilia intellexisset, ad hoc impediendum, fuisse egressum, denuo rex: se hoc quidem admittere scripsit „at faces," subjunxit „et scalae, nisi tibi „molestum est, quo consilio te secutae fuerint, „velim mihi significes." Risit ad jocum illum Aratus, rogans: „qualis tandem adolescentulus iste „esset." Quod in summam profecto, et suam, et suorum perniciem, mox experturus erat. Caeterum in hac narratiunculâ, a Plutarcho nobis servatâ, veluti semina quaedam deprehendere mihi videor et principia illius, ab Achaeorum duce in regem Spartanum susceptae invidiae, quae, sensim sensimque latius excrescens et in extrema tandem omnia erumpens, splendidissimam viri gloriam, insignem in modum, obscuravit [1]). Sed lectorum animos praeoccupare nolo, et illuc revertor.

---

1) Causam quare Plutarchus ejusmodi quoque primo adspectu leviora in vitas suas receperit, ipse sic explicat in *Vita Agesilaï* c. XXXIX. *ὁ μὲν γὰρ Ξενοφῶν φησὶ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔχειν τι καὶ τὰς ἐν παιδιᾷ φωνὰς καὶ διατριβὰς ἀξιομνημόνευτον, ὀρθῶς λέγων.* Coll. *V. Alexandri*

Vix Spartam redierat Cleomenes, quum nuntius allatus est, Aratum Caphyas, Arcadiae urbem, in finibus Laconiae sitam, cepisse foederique adsociasse. Hinc statim iterum copias rex educit, Methydrium, Arcadiae item urbem, capit et incursionem in Argolidem facit. Jam vero insigniter patuit quantopere Aratus adversarii sui impetu esset perculsus. Nam cum Aristomachus, Argi quondam tyrannus, sed foederis Achaïci nuperrime Praetor electus, expeditionem contra Lacedaemonios summo studio pararet ideoque Aratum, Athenis eo tempore versantem, ad se vocaret: hic, missis literis, omni ope suadere ei conatus est, ne cum homine isto temerario, in diesque mirum in modum invalescente, Achaeos confligere sineret. In suâ sententiâ persistente Aristomacho, ille, Praetori obsecutus,

---

in Praef. et V. Catonis minoris c. XXIV. et XXXVII. Vide quantopere hoc nomine laudetur à Roussavio in ejus opere: *Emile l. IV.* — Cf. Tacitus *in Ann. IV.* 32: *Non tamen sine usu fuerit, introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur.* Neque plane ab hoc loco alienum mihi videtur dictum Ciceronis, in Verrinâ quartâ, c. 25: *est boni judicis, parvis ex rebus conjecturam facere uniuscujusque et cupiditatis et incontinentiae.*

praesto ad bellum fuit. Occurrit illis ad Pallantium Cleomenes pugnamque offert. Quod si tunc aleam jacere intrepide Aratus ausus esset, longe sane diversus omnium rerum exitus exspectandus fuisse videtur. At, quamvis copiis quater superior, ducem, confligendi cupidum, quâ inter suos valebat auctoritate, coërcuit, neque pugnare passus est. Nemo mirabitur, Aratum, hac agendi ratione, plane singulari, in magnam suorum vituperationem hostiumque derisionem et contemtum venisse, immo Lydiades[1]), cujus immoderatam jam cognovimus ambitionem, cum alternis fere annis, Praetor Aratus creari soleret, illam arripuit opportunitatem, ut, proximâ concione, civium animos ab eo abalienare summumque illum honorem in se iterum conferre studeret. Latis vero suffragiis, Arati causa victrix exiit et duodecimum Praetor electus est, a°. 227 a. C.

Hanc Praeturam ita auspicatus est, ut Eleorum gentem, quae Achaeorum partibus adversata constanter fuerat, incursione peteret. Illi, ad angustias re-

---

1) In hoc nomine observandum est, apud Plutarchum scribi Λυσιάδης.

dacti, invocare Cleomenem. Hic, nonnisi bellum gloriamque cogitans, adesse; Achaeos, jam redeuntes, persequi, adoriri ad montem Lycaeum, fugare, caedere multos, multos vivos capere. Aratus noctu vagari coactus est, ita ut de ejus morte rumor iterum per Graeciam increbresceret. Ille vero, callide opportunitate usus, subito Mantineam invasit, urbemque, Spartanorum eo tempore partibus adhaerentem, occupavit, munivit praesidio et inquilinos, quo plures sibi amicos redderet, civium numero adscripsit. Quo in loco miratur Plutarchus Arati solertiam, quippe qui, victus, unus obtinuerit, quae victores haud facile obtinuissent. At vero appropinquabant tempora, quibus plurimi, quam nunc admirabantur solertiam summisque laudibus efferebant, moderatiore erant praeconio celebraturi! — Mantineenses acrem Arati vindictam merito timebant: Achaeorum enim causam ante amplexi, primum sese Aetolis, dein Spartanis, tradiderant. Luculenter vero hi quoque experti sunt, foederis ducem in hostem victum haud ita acriter saevire. Occupatâ urbe, statim edicit, ne quis alienam possessionem tan-

geret. Urbis incolas convocatos bono animo esse jussit suaque, ut solerent, curare: eos enim, Achaicae denuo reipublicae participes, ab omni se damno tutos praestiturum. Tam inopinata humanitas omnium statim animos convertit et spectaculum praebuit omnium suavissimum. Quos enim hostili paullo ante animo oppugnaverant, in aedes ipsi suas inducunt, ad focos considere faciunt, pro amicis fratribusque salutant. Quam merito autem illud fecerint, Polybii verba, insignem in modum, declarant: ,, haud ,,scio" inquit ,,an nullus unquam hostem benigniorem expertus fuerit, aut cum leviori damno, quae ,,acerbissimae habentur calamitates, sit eluctatus, ,,quam Mantineenses, propter Arati Achaeorumque ,,humanitatem [1])." At, varium Mantineensium perfidumque animum consideranti in mentem veniunt Oedipodis apud Sophoclem verba:

θνήσκει δὲ πίςις βλαςάνει δ' ἀπιςία.
καὶ πνεῦμα ταὐτὸν οὔποτ' οὔτ' ἐν ἀνδράσι
φίλοις βέβηκεν οὔτε πρὸς πόλιν πόλει [2]).

---

1) Polyb. II. 57.
2) Oed. Col. Vs. 607.

Capta Mantinea cum maximum Ephoris timorem injecisset, revocatur Cleomenes, quibus tamen magnâ, ut jam commemoravimus, pecuniarum vi corruptis, ad oppugnandos hostes iterum exit. Ut ad Megalopolin ventum est, quamvis cunctanter Arato cauteque ad pugnam accedente, initio tamen superiores fuerunt Achaei; sed, cum Lydiades, invito Praetore, fugientes hostes, cum equitibus, coeco impetu, per loca iniqua, esset persecutus, conversâ fortunâ belli, sibi interitum, Achaeis cladem paravit. Magna exinde apud suos in Aratum culpa redundabat, tamquam Lydiadem, quem praeclare occubuisse praedicabant, victoriamque deseruisset. Iracunde abeuntes Aegium sequi cogitur, quo cum convenissent neque pecunias illi suppeditare neque mercenarios alere decernunt; ,,sibi ipse prospiciat," inquiunt ,,si bellum gerere velit." Meritone ita in eum invecti sint, alii dijudicent. Pugnae certe exitus temeritatis Lydiadem potius, quam nimiae tarditatis Aratum arguere videtur. Jam vero hic, conviciis immeritis peti se sentiens, irâ correptus, muneris sui insignia ponere et praeturam abdicare

statuit; mox tamen, re deliberatâ, quo dignitatis erat loco permanens, Achaeos educit Orchomenum, proelioque commisso, et Megistonum, Cleomenis vitricum, vivum in suam redigit potestatem et trecentos hostes victor caedit.

Egregie apud Thucydidem Pericles: II. 43: *ἀλγεινοτέρα γὰρ ἀνδρί γε φρόνημα ἔχοντι ἡ ἐν τῷ μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις ἢ ὁ μετὰ ῥώμης καὶ κοινῆς ἐλπίδος ἅμα γιγνόμενος ἀναίσθητος θάνατος.* Utinam ita Aratus quoque, postquam generosam illam in cives suos vindictam exercuerat, foederis jura gloriamque propugnans, fato propitio occubuisset vitamque splendide actam morte cumulasset praeclara! Ab hoc enim tempore lugubria omnia, tragicamque speciem induunt. Libertatis alumnus foederis causam deserit, quique Timoleontis, Philopoemenis, Epaminondae, Catonis Uticensis instar, nonnisi propellendae tyrannidi injustoque imperio oppugnando ab incunabulis destinatus videbatur, (mirum tristissimumque auditu!) servitutem ipse in patriam infert, et Macedoni, avito Graeciae hosti,

quam regi Spartano parere mavult. Sed ad ipsam narrationem redeundum est.

Persuasum fuisse Cleomeni, si plenum sibi aliquando rerum omnium contigisset arbitrium, hostes se facile subacturum bellumque profligaturum esse, supra observatum est. Igitur, quum, trucidatis Ephoris, novum, quem vidimus, rerum statum Spartae introduxisset, ad summum audaciae provectus, novam suam auctoritatem eo maxime adhibuit, ut, vires Achaeorum frangendo, corroboraret suas. In quo consilio exsequendo hanc viam secutus est. Intelligens, Achaeos atque Aratum ita sentire, se, propter repentinam illam commutationem, ex tanto motu suspensam urbem et fluctuantem minime relicturum esse, exercitûs sui alacritatem, quoniam et praeclarum ipsi et utile videbatur, ostentare hostibus statuit. Invasione igitur in Megalopolitanorum regionem factâ, ex agris devastatis multum praedae retulit. Tandem, quum histriones quosdam ex itinere intercepisset, theatro in terra hostili exstructo, totum diem ludis scenicis cum otio spectandis indulsit, non, ait Plutarchus, quasi istiusmodi spec-

tacula valde diligeret, sed ad hostes illudendos et aperte declarandum, quantopere opibus abundaret illosque contemneret.

Aratus contra, qui, auctâ in dies anxietate, insignia sibi ab eo pericula imminere intellexisset, eo tandem angustiarum Achaeorum rempublicam redactam esse ratus, ut, sibi relicta, necessario corruere deberet, ad labantis foederis opes sustentandas viam iniit exitiosissimam: Macedonum enim auxilium contra Spartanos Aetolosque invocare decrevit

conditionibus

Foedis et exemplo trahenti

Perniciem veniens in aevum.

Quandoquidem vero novus hinc plane atque inexspectatus rerum, in Peloponneso, nascitur ordo: subsistendum hoc loco et res altius repetenda videtur. Primum igitur, consiliorum, ab Arato cum Macedonibus initorum, progressum bellique Cleomenici eventum, pro instituto meo, auctore maxime Polybio, exponam breviter, deinde vero, in illius viri res gestas statumque, Plutarchi et Polybii sententiis collatis, paullo ulterius inquirere in animo est.

Foedus igitur Achaeorum, initio quidem, suis opibus fretum, contra Lacedaemonios attollere oculos sustinuerat; procedente vero bello, quum totam regiminis formam Lacedaemone Cleomenes immutasset, nec minus efficaciter et valide bellum gereret, et ab Aetolorum etiam audaciâ eorumque, cum Spartanis, societatis ineundae consiliis, graviora in dies reipublicae damna inpenderent, Aratus praevidens futura metuque commotus, malis hisce in tempore occurrendum esse statuit. Macedonibus tunc praeerat Antigonus Doson, Philippo adhuc puero tutor relictus, rex, si Polybium audias, strenuus, fidus, intelligens [1]). Cum hoc colloqui amicitiamque jungere studuit, sed per ambages maxime machinationesque occultas procedendum sibi ratus, hanc iniit viam. Megalopolitanos, Achaeorum socios fidelissimos [2]), cum propter regionis situm, Lacedaemoni adjacentis, damnis rapinisque prae caeteris expositos cerneret, eosque ab Achaeis, qui ipsi quoque rerum inopiâ

---

1) II. 47. *κατανοῶν δὲ τὸν Ἀντίγονον καὶ πρᾶξιν ἔχοντα καὶ σύνεσιν καὶ πίςεως ἀντιποιούμενον·*

2) Cf. Polyb. II. 55. 60.

summopere laborarent, frustra auxilia exspectare, dum belli vel maxime affligerentur calamitatibus, quumque insuper cognitum haberet eorumdem a regibus Macedoniae animum, propter beneficia ante accepta [1]), minime alienum: non dubitavit quin, si gravius urgerentur a Cleomene, Antigonum opesque Macedonicas mox essent respecturi. Erant autem duo cives Megalopolitani, Nicophanes et Cercidas, hospitii paterni vinculo cum Arato juncti, ad ejusque coepta persequenda idonei. His ad arcanas deliberationes adhibitis, facile effecit, ut Megalopolitani, de auxilio sibi ab Antigono impetrando, ad Achaeorum conventum legationem decernerent, cujus obeundae munus iisdem illis mandatur duumviris, qui consilii auctores civibus suis fuerant. Hi igitur

---

1) Polyb. II. 48. Ad quem locum ita Schweighaeuserus: „*quaenam sint illa beneficia, quae a Philippo, Amyntae* „*filio, acceperint Megalopolitani, nusquam memoriae prodi-* „*tum reperi.*" Res illustranda mihi videbatur ex Polyb. IX. 28: ubi Chlaeneas Aetolus in oratione apud Lacedaemonios habitâ, regem illum oppida cum agris, huic populo erepta, cum aliis, tum etiam Megalopolitanis adtribuisse ait, donec, pergens legendo, negatum hoc ipsum ab Acarnanum oratore comperissem ib. c. 33. Itaque dubius haesi.

Achaeos publice adeunt, legatorumque ad Antigonum mittendorum facultatem, in Megalopolitanorum gratiam, adepti, rectâ inde in aulam Macedonicam tendunt. Ad regis colloquium admissi, commoda quidem patriae nonnisi breviter et summatim attingunt, de summâ autem rerum, ex Arati mandatis, plurima verba faciunt. Ostendere regi student, Aetolorum illa et Cleomenis societas quid valeat quorsumque spectet, neque Achaeis solis cavendum, sed vel maxime etiam ipsi Antigono. Fieri enim vix aliter posse, quin Achaeis (leve sane negotium,) debellatis, pro avaritiâ suâ Aetoli et Cleomenes, quae esset hominis ambitio totiusque vitae propositum, quamvis, in praesentia, Peloponnesi imperio contenti fuerint, mox universae Graeciae vindicare sibi principatum studeant: quod, nisi Macedonum regno subverso, assequi non possint. Quocirca orare regem legati, ut, futura prospiciens, secum reputaret, magisne rebus suis conduceret, Achaeis Boeotisque succurrendo, in Peloponneso, cum Cleomene, de Graecorum principatu decernere, an vero, maximo populo neglecto, in Thessalia, cum Aetolis, Boeo-

tis nec non et Achaeis, et Lacedaemoniis, pro Macedoniae imperio pugnando, periclitari? Sic potissimum Aratus, regem de ipsius periculo commonendo, quod sperabat, asseculurus esse videbatur. Subjungunt autem legati: quodsi Aetoli, pudore cohibiti, ob beneficia, ab Achaeis bello Demetriaco accepta, quietem se agere velle simulaverint, prouti hactenus fecissent, tum quidem solos Achaeos cum Cleomene bellum gesturos, et, favente fortunâ, nihil sociorum auxilio opus fore. Sin Spartanis inferiores fuerint et cum illis se Aetoli conjunxerint, ad ea, quae agerentur, advertere eum animum adhortabantur neque rerum gerendarum deesse opportunitatibus, sed Peloponnesiis, dum servari adhuc possent, opem suppeditare. Caeterum de fide praestanda et referenda gratia non magnopere illi esse, quod laboraret: Aratum enim ipsum, cum tempus admoneret, fidei pignora utrisque grata inventurum pollicebantur, pariterque indicaturum, quando ad auxilium ferendum tempus opportunum videretur [1]).

---

1) Polyb. II. 49.

Quum ad legatorum illas Megalopolitanorum cohortationes faciles aures praeberet Antigonus, quin ex vero Aratum prudenterque, digito quasi, futura indicasse censeret, asylum hic sibi atque praesidium paratum intelligebat, quo, si ita videretur, confugere liceret. Quo tamen tempore deliberationes illas initas fuisse censendum est, respublica Achaeorum viris adhuc stabat suis, necdum extremum illud remedium flagitabat. Quamvis igitur Antigonus promtam voluntatem luculenter declaraverat, Achaeorum tamen consilium, auctore Arato, eodem statu manere et per se ipsos bellum gerere decrevit: partim, quod honestissimum, ut erat, ita ducerent, ad salutem suam tuendam, alieno auxilio non indigere, partim etiam, quod, pristinorum Ptolemaei beneficiorum memores, amicitiam cum illo servare studerent, neque ita de se vellent existimari, quasi alius cujusquam opem respicerent. Post vero quam res in deterius quotidie abibant, et, deficiente simul subsidio, quod Ptolemaeus praestare Achaeis solebat, gravissimis a Cleomene cladibus affecti sunt: tum demum, ait Polybius, dilationem rebus jam

non ferentibus, praesens periculum illos coëgit, ut Antigoni auxilium, unanimi omnes consensu, implorarent. Hic paratus omnino rebusque agendis intentus erat, aliâ tamen conditione auxiliaturum se Achaeis negabat, nisi prius Acrocorintho receptâ et Corinthiorum sibi urbe traditâ, quâ, veluti arce belli, uteretur. Hoc autem quo minus fieret, inprimis obstabat, quod Corinthii, inviti, in Macedonum redigendi erant potestatem, unde maxima coörta est dubitatio et deliberatio in aliud tempus dilata. Post vero quam Cleomenes per Peloponnesum quaquaversus victor incesserat, multasque urbes, postremo etiam Corinthum occupaverat, summa illa difficultas sublata fuit. Quum enim Corinthii, repudiatis Achaeis, Cleomenem ad se vocassent, hisce, auctore Polybio, data est opportunitas et praetextus probabilis, quem Aratus arripiens, Acropolin obtulit Macedoni. Quo facto, Antigonus, quamvis vel maxime obstabat Cleomenes, et Aetoli quoque transitum ejus impedire omni ope nitebantur, favente fortunâ, Peloponnesum intrat traditamque sibi Acrocorinthum accipit.

Hinc omnia Cleomeni in pejus mutata. Macedoniae rex omnium sociorum dux renuntiatus est, continuis deinde proeliis Spartanorum copias fudit eorumque tandem, apud Sellasiam, superbos plane fregit conatus.

Haec summatim et brevissime rerum capita stringens, exposui. Quae post Corinthum Antigono traditam in Peloponneso acta sunt, satis ample apud Polybium tradita reperiuntur deque nonnullis eorum deinde agendum erit. Nunc vero ad Aratum redire ejusque res gestas et fata accuratius investigare juvat, deinde auctorum, qui de Arato et Cleomene scripserunt, celeberrimorum, judicia, qualia fuerint, et quae illis fides sit tribuenda, pro viribus explorare.

§ 4.

Accuratior de Arati conditione rebusque gestis, belli Cleomenici temporibus, disquisitio.



Aratus, Plutarchus inquit, tantum valebat apud Achaeos, ut, cum quotannis non liceret, alternis certe annis Praetor crearetur, re autem et consiliis continenter regnaret [1]. Et vero, quantam quamque continuam, supremae etiam auctoritatis insignibus positis, in civium suorum rebus administrandis vim habuerit, exempla, in ejus vita, haud pauca evincunt. Ubi amissam libertatem recuperare Athe-

---

1) *V. Arati c. XXIV.*

nienses studuerunt, quamvis alius tunc Achaeorum tenebat imperium, Arati virtutis memores, in auxilium hunc sibi vocarunt [1]). Aristomachus, Praetor a°. 226 a. C., quum, repugnante Arato, Spartanos aggredi vellet, obsequentem hunc primum illius auctoritati cernimus, instructâ tamen acie, manus quum jamjam essent conserturi, pugnam committere Praetorem prohibet [2]). Quo tempore Achaei magnâ a Spartanis ad Hecatombaeum clade affecti fuerant, Hyperbates Praetor quidem erat, sed summa rerum fuit apud Aratum [3]). Quae sane continua Arati auctoritas haud facilis explicatu videatur consideranti, in quot quantaque, per hanc ipsam, damna, Achaei incurrerint [4]). At vero, insignia

---

1) Ib. c. XXXIV.

2) *V. Cleomenis c. IV. cf. V. Ar. c. XXXV. in fine.*

3) *V. Plut. in Cleom. c. XIV.*

4) Quo loco Plutarchus inter tetram Aristippi tyrannidem atque imperium, quo in suos valebat Aratus, comparationem instituit, de hoc ita disputat: *ὁ δ᾽ οὐχ ὅπλοις κατὰ βίαν, νόμῳ δ᾽ ὑπ᾽ ἀρετῆς ἀκατάπαυστον ἀρχὴν περιπεποιημένος* rlq. Hunc locum Bayerus, ad sententiam suam confirmandam, laudans, rogat: *quid ἀκατάπαυστος ἀρχὴ nisi continuatae Praeturae? In fastis Ach. ill. c. II. sect.* 8. Haud scio tamen an haec verba intelligenda inprimis de vi et auc-

hujus viri in foederis salutem et gloriam intuentes merita, respicientes peritiam rerum civilium eximiam totamque ejus vitam suisque patriaeque dicatam, verba quoque audientes, quos in bello gerendo admisisset errores, deprecantia facundissime, ejusque eloquii, quum vel maxime in eum incensi essent, suivitate et gratiâ deliniti: iterum ejus sequa consilia civitatisque iterum gubernacula in ejus tradere manus haud dubitarunt [1]).

Quamvis igitur alternis annis gerere Praeturam consuevisset, quum in annum 224. a. C. vices iterum ad eum devenissent, quem honorem studiose semper ambierat, ejuravit neque se Praetorem creari passus est. Quocirca in ejus locum successit Timoxenus. Hujus rei causam vulgo sibi reperire in

---

toritate, quam in rebus administrandis, etiam si Praeturâ non fungeretur. perpetuo exercere Aratus solebat, cum et paullo ante, de illo affirmaverit: eum, ἔργῳ καὶ γνώμῃ, non Praetor tantum cum esset, sed διὰ παντὸς ἄρχειν, et cum, hac demum interpretatione admissâ, institutae antithesi vis addi maxima mihi videatur. Quid? quod c. 30. expressis verbis de Arato dicitur: αὐτὸς μὲν γὰρ παρ' ἐνιαυτὸν ἦρχε, cf. c. 24.

1) Cf. V. Ar. XXVIII. οὐ μὴν ἀλλὰ, et Polyb. IV. 14.

eo videbantur, quod multitudini, propter injuriam sibi illatam, magnopere succensuisset: Achaei enim, uti jam dictum est, Lydiadis ad Megalopolin caesi culpam in eum conferentes, Aegium eum irati abripuerant gravique affecerant ignominiâ. Tunc quidem, quamvis de magistratu statim abdicando secum meditatus, irâ tamen superior, propositum illud repudiaverat; nunc vero, novâ, ut videtur, succensendi materiâ oblatâ, (multitudinis enim semel incitatae quis levitatem temeritatemque ignorat?) a rerum ideo moderamine removere se velle videbatur. Sed, ut Plutarchus monuit, vera causa longe altius repetenda est: *αἰτία δ' ἀληθὴς*, inquit, *τὰ περιεςῶτα τοὺς Ἀχαιοὺς, οὐκέθ' ὡς πρότερον ἀτρέμα καὶ σχέδην τοῦ Κλεομένους ἐπιβαίνοντος οὐδ' ἐμπλεκομένου ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς, ἀλλ' ἐπεὶ τοὺς Ἐφόρους ἀποκτείνας καὶ τὴν χώραν ἀναδασάμενος καὶ πολλοὺς τῶν μετοίκων ἐμβαλὼν εἰς τὴν πολιτείαν ἔσχεν ἰσχὺν ἀνυπεύθυνον εὐθὺς ἐπικειμένου τοῖς Ἀχαιοῖς καὶ τῆς ἡγεμονίας ἑαυτὸν ἀξιοῦντος.* Rem mihi consideranti haud multum aberrare a vero videtur, qui conjunctam causarum illarum vim

tantâ in ejus animum irruisse vehementiâ statuerit, ut muneri quamvis honorificentissimo renuntiare maluerit, quam, tot undique circumventus periculis, rerum gerendarum haud sane invidendam in se unum curam recipere. Sed rem pressius persequamur.

Cum Cleomene igitur, quem in agro Megalopolitano, a copiis suis devastato, insultantem Arato supra reliquimus, belli fortuna, ab eo inde tempore, in Achaeorum perniciem, conspirasse videbatur. Et primum quidem Mantineenses eum ad se vocarunt, cumque noctu in eorum urbem irrupisset, praesidio Achaeorum ab utrisque simul ejecto, in ejus se fidem tradiderunt. Hinc, eodem die, Tegeam abiit. Mox per Arcadiam in Pheras Achaïcas contendit, id agens ut, vel signa cum hoste conferret, vel calumniis objiceret Aratum, tamquam pugnam detrectantem, sibique regionem illam condonantem. Parum prudenter deinde Cleomenes inter Dymaeorum urbem hostilem et castra Achaeorum consedisse visus est, quos cum, audacter lacessendo, ad pugnam coëgisset, magnam de illis, ad Heca-

tombaeum, reportavit victoriam. Hinc Langonem tendit, praesidioque Achaïco expulso, urbem Eleis reddidit.

Hîc autem, de illis, quae proxime pugnam secuta sint, inter auctores, qui de hac historiae parte de industria egerunt, mirum observare licet dissensum. Polybius enim, cujus supra narrationem summatim exposui, haec habet l. II. c. 51. *ὁλοσχερῶς ἔπταισαν Ἀχαιοὶ ἐν τῇ Δυμαίᾳ, περὶ τὸ καλούμενον Ἑκατόμβαιον, πανδημεὶ διακινδυνεύοντες· τότ' ἤδη τῶν πραγμάτων οὐκ ἔτι διδόντων ἀναστροφὴν, ἠνάγκαζε τὰ περιεστῶτα καταφεύγειν ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸν Ἀντίγονον.* Apud Plutarchum contra, in V. Arati ineunte capite XXXIX°., haec verba reperias: *Ἀπεβάλοντο δ' οὖν οἱ Ἀχαιοὶ τὴν Μαντίνειαν, πάλιν ἑλόντος αὐτὴν τοῦ Κλεομένους καὶ μάχῃ μεγάλῃ περὶ τὸ Ἑκατόμβαιον ἡττηθέντες οὕτω κατεπλάγησαν ὥστε πέμπειν εὐθὺς ἐφ' ἡγεμονίᾳ τὸν Κλεομένη καλοῦντες εἰς Ἄργος.* Ille eos, et quidem unanimi omnium consensu, ad Antigonum confugisse affirmat, hic ita perculsos fuisse contendit, ut statim dimitterent, qui Cleomenem ad princi-

patum obtinendum vocarent [1]). Polybium, hac in re, magnopere errasse, plurima testantur: qui error, undenam explicandus sit, pluribus infra exponam.

Rebus igitur Achaeorum tantopere afflictis, nihil plerisque reliqui videbatur, quam ut pacis, a Cleomene oblatae, conditiones acciperent, neque Aratum diutius audiebant, ab ejusmodi illos proposito exsequendo absterrere omni ope conantem. *Οὐ προσεῖχον αὐτῷ τοῦ Κλεομένους ἐκπεπληγμένοι τὸ θράσος, ἀλλὰ καὶ δικαίαν ἐποιοῦντο τὴν ἀξίωσιν τῶν Λακεδαιμονίων εἰς τὸ πάτριον σχῆμα κοσμούντων τὴν Πελοπόννησον* [2]). Quaenam autem pacis conditiones fuerint, quibus propositis, ad se adducere Cleomenes Achaeos studuerit, refert Plutarchus: *ὁ δὲ Κλεομένης*, inquit, *πρῶτον μὲν μέτρια τοῖς Ἀχαιοῖς ἐδόκει πρέσβεσιν ἐπιτάττειν, ἑτέρους δὲ πέμπων ἐκέλευεν*

---

1) Discrepantia, ni fallor, satis aperta est. Quocirca calculum adponere sententiae Mannerti vix possim l. III. c. 6 in Not. sic statuentis: *Polybius und Plutarch widersprechen einander in keiner Thatsache bei dieser ganzen Geschichte.*

2) V. Cleom. c. XVI.

αὐτῷ παραδιδόναι τὴν ἡγεμονίαν, ὡς τἄλλα μὴ διοισόμενος πρὸς αὐτοὺς, ἀλλὰ καὶ τοὺς αἰχμαλώτους εὐθὺς ἀποδώσων καὶ τὰ χωρία [1]. Quibus conditionibus cum Achaei acquiescentes, Cleomenem Lernam, ubi concilium populi habituri essent, vocassent omniaque conventura viderentur: ecce, rex in subitum morbum incidit neque concilio interesse, tempore praestituto, potuit. Captivorum tamen illustrissimos Achaeis reddidit et ipse Lacedaemonem reversus est.

Re dilatâ, opportunitas Arato data esse videtur omnium exoptatissima, et cum Antigono de praestandi auxilii conditionibus agendi intentius, et omnia moliendi, ut a Spartanorum partibus suorum animos alienaret. Et vero, hîc maxime demirari viri calliditatem licet, quâ utinam, quemadmodum antehac, in commodum Graeciae et libertatis, non vero in emolumentum patriam opprimentium turpiter usus fuisset.

---

1) V. Cleom. c. XV. Nonnulli interpretes voci μέτρια praemittendam censent particulam μή, quod certe haud leνem commutationem verborum sententiae affert.

In aliâ historiarum parte Polybius, ubi de facultatibus disputat, quae in illis, qui rebus gerendis praesunt, requiruntur necessario, ita loquitur: "Ἔστι δ' ἀρχὴ μὲν τὸ σιγᾷν καὶ μήτε διὰ χαρὰν, παραδόξου προφαινομένης ἐλπίδος, μήτε διὰ φόβον, μήτε διὰ συνήθειαν, μήτε διὰ φιλοστοργίαν, μεταδιδόναι μηδενὶ τῶν ἐκτός· αὐτοῖς δὲ κοινωνοῦσθαι τούτοις, ὧν χωρὶς οὐχ οἷόν τε τὸ προτεθὲν ἐπὶ τέλος ἀγαγεῖν καὶ τούτοις μὴ πρότερον ἀλλ' ὅταν ὁ τῆς ἑκάστου χρείας καιρὸς ἐπαναγκάζῃ· χρὴ δὲ σιγᾷν μὴ μόνον τῇ γλώττῃ, πολὺ δὲ μᾶλλον τῇ ψυχῇ [1]. Jam vero, haec omnia apprime in Aratum quadrant. Cui enim per tot esset tamque impeditos viarum anfractus procedendum, nisi „ad tractanda et simulanda negotia „altitudo ingenii incredibilis" fuisset, nisi silere animo, nedum linguâ, donec tempus loquendi opportunum adesset, valuisset vel maxime, pervenire profecto, quo tendebat, nequaquam potuisset. Verum, haec mentis, in re gravissimâ, taciturnitas et dissimulatio, exsequendi propositi nonnisi pars,

1) IX. c. 13.

eaque levior erat. Longe certe operosius fuit, Achaeorum animos, ad Spartanorum partes magis magisque declinantes, sive deductos inde, sive avulsos, ad communem Graeciae hostem, (id enim omnes tenebant,) adducere, neque tamen patriae causae male consulere, sed de suorum salute sollicitus esse videri. Omnia enim sic instruenda et dirigenda, sic Peloponnesiorum pertractandi animi erant, ut, pro Macedone, contra Graeciam, haud inviti, starent, neque injuriâ „valde timebat, postquam „rex advenisset et Cleomenem Lacedaemoniosque „debellasset, si iniquius deinde aliquid consuleret „adversus communem ipsorum rempublicam, ne „mali totius causa sibi tunc uni adscriberetur, at„que omnes ita judicarent, jure id Antigonum fa„cere, propter insignem injuriam, captâ Acroco„rintho, regibus Macedonum, se auctore, illa„tam [1])." — Consilio etiam perficiendo haud minimum obstitisse Arato videbatur, quod aegerrime eo perductum iri crederet Antigonum, ut ad res

[1]) II. 50.

Peloponnesi, in Achaeorum certe gratiam administrandas, animum adplicaret; quod ex Polybio jure mihi efficere videor: hic enim Aratum valde laetatum esse scribit, quod non frustra ejusmodi consilium excogitasset neque penitus a se alienatus Antigonus esset repertus. Verum, ab hac quidem parte, mox abunde securum regis eum vigilantia praestitit [1]).

Multum in proposito suo exsequendo profecisse Aratum, quae proximâ populi concione gesta fuerunt, luculenter testari videntur. Nam cum eo iterum vocassent Cleomenem atque instans reconciliatio in multa esset hominum spe: Aratus, inductâ prius rationibus suis multitudine, postulavit ab eo, ut vel cum trecentis tantum comitibus, trecentis item, si ita videretur, obsidibus mutuo acceptis, tamquam ad amicos sociosque veniret, vel, si exer-

1) Polyb. II. 50. ὁ μὲν οὖν Ἀντίγονος, ἀκούσας ταῦτα καὶ δόξας ἀληθινῶς καὶ πραγματικῶς ὑποδεικνῦναι τὸν Ἄρατον, προσεῖχε τοῖς ἑξῆς πραττομένοις ἐπιμελῶς· et c. 52: Ἀντίγονος δὲ πάλαι μὲν ἦν ἐν παρασκευῇ, καραδοκῶν τὸ μέλλον, κατὰ τὰς ὑποθέσεις τὰς Ἀράτου.

citu se destitui suo nollet, ad Cyllarabin [1]) progressus, missis ultro citroque internuntiis, cum Achaeis ageret [2]). Hisce auditis, Cleomenes, quippe qui totius jam Peloponnesi principatum haud dubiâ sibi spe despondisset, injusta se pati atque illudi sibi clamabat: ab initio enim ista communicanda secum fuisse neque vero se, postquam ad portas illorum jam accessisset, repelli sibique diffidi oportere. Hinc viri principes, irae magis quam dignitati consulentes, missis epistolis, acerrimis exprobrationum calumniarumque telis semet invicem lacerare neque ab ullo probri genere abstinere; rex Spartanus, prae dolore atque irâ frendens, celerrime abiit et praeconem, bellum Achaeis indicturum, non Argos, ubi tunc concio habebatur, sed Aegium, ut ad locum conveniendi usitatum, misit, quo facilius, ut in commentariis scripsisse Aratus videtur,

---

1) *Gymnasium id est minus trecentos passus ab urbe.* Livius XXXIV. 26.

2) Sic potissimum loca in V. Arati c. XXXIX. et V. Cleomenis c. XVII. jungenda esse, omnino adsentior Helwingio, quae, seorsim sumta, minus rem continere videntur.

bellicos hostium apparatus praeverteret [1]. Nunc derepente mutari atque misceri omnia et victricia Cleomenis arma longe lateque per Peloponnesum diffundi cernimus [2]. Plurimae urbes vi captae, plurimae, regis Spartani blanditiis allectae, defectionem, sponte suâ, moliri coeperunt: nam, et populi agrorum divisionem novasque tabulas se ab eo consecuturos esse sperabant, et principes passim infensum in Aratum animum, quod Macedones in Peloponnesum induceret, haud obscuris signis declarabant. Cleomenes igitur primum in Achaïam irrupit et Pellenen, ejecto, Achaeorum ope, praesidio, cepit; hinc statim Pheneum, Penteleum, Caphyas, Argos, Phliuntem, Cleonas in potestatem suam redegit. Omnino, Plutarchus inquit, nihil eorum quae ante sibi Achaei adjunxerant, fidum iis certumque erat, magnusque subito tumultus circumstetit Aratum, cum Peloponnesum concussam videret

1) Inde omnino efficias, tumultum magis antea quam justum bellum fuisse, quamvis Polybius II. 46. statim ab Athenaeo in agro Megalopolitano a Spartanis munito, belli Cleomenici, ut supra monui, initium computat.

atque urbes undique a novarum rerum studiosis ad defectionem impelli: nihil enim quietem agebat aut praesenti rerum statu acquiescebat [1]. Illud autem quieta movendi novandique studium quam longe serpserit vehementerque flagrarit, ex illis, quae Sicyone et Corinthi acciderunt, insigniter patuit. Nempe, in his ipsis civitatibus, quibus a tyrannide in libertatem vindicandis, virtutis suae primitias ediderat quondam Aratus, multi deprehensi fuerunt, qui, cum, propter propriorum dominorum desiderium, salutem communem jam pridem neglexissent, de tradendâ urbe colloquia cum Cleomene agitarent. Et vero, parum abfuit, quin ab illo Sicyon proditione caperetur. Achaei autem, ne res eo deveniret, metuentes, praesidio Argis deducto, urbes illas communiverant. Jam vero Aratus, factiosorum istorum animum mitiori remedio leniri haud posse reputans, liberam adversus eos potestatem nactus, quos Sicyone corruptos reperit, necari jussit. Quod cum Corinthi

---

1) Cf. *V. Arati c. XXXIX. V. Cleomenis XVII—XIX.* Polyb. *II*, 52.

quoque facere vellet, summum vitae discrimen, ab exacerbatâ multitudine imminens, mirâ aequabilitatis mentisque imperturbatae specie, callidâque metûs dissimulatione, ut effugeret, contigit. Quum enim Corinthios, facto ad Apollinis templum concursu, id maxime agere sensisset, ut ipsum vel occiderent, vel captivum detinerent ante defectionem: multis jam de sedibus suis prosilientibus conviciisque eum petentibus, constanti vultu et leni sermone, considere eos jussit neque ita stantes confuse clamare; circum portas quoque congregatos intrare hortatus est simulque pedetentim de fano recessit, quasi equum, quem, tamquam non diffidens ipsis nihilque suspicatus, manu ipse trahens, advenerat, tradere cuidam vellet. Ita sese subtrahendo, occurrentes in viâ Corinthios placide alloquens et in aedem Apollinis ire jubens, ut paulatim prope arcem pervenit, in equum insilit, praefecto praesidii, ut strenue arcem custodiat, praecipit, Sicyonem fugâ contendit, triginta tantummodo comitantibus militibus: caeteri enim deseruerant eum atque in itinere diffluxerant. Hisce compertis, Corinthii, frustra eum

persecuti, arcessunt Cleomenem eique urbem tradunt. Hic, Argis profectus, Troezeniis, Epidauriis Hermionensibusque sibi adjunctis, Corinthum venit atque arcem, quam relinquere Achaei nolebant, munitionibus circumvallavit.

Aratus interim, Sicyone commorans, quidnam consilii caperet, sollicitâ curâ secum agitabat; honestum exitum, nedum gloriosum, perfugium decorum seque, Graeco, tanto viro, dignum, quocunque spectaret, reperiebat nullum. Athenienses [1]) Aetolosque ad praestandum auxilium frustra sollicitaverat. Faucibus urgebat Spartanorum dux, stipante exercitu, jamjam summâ rerum potiturus. Ab alterâ parte, pactionibus cum Antigono ineundis, longius progressus erat, quam ut facile receptui canere potuisset [2]). Ita anxius ab omni parte haerebat. Gravem illam consilii inopiam auxisse haud minimum videtur, quod Cleomenes, sive simulatâ sive candidâ mente, et publice et privatim, variis eum illecebris

---

1) De Atheniensium illis temporibus conditione cf. Polyb. V. 106.

2) Nam et hîc valet Horatianum illud in re dissimili dictum: *Est quodam prodire tenus, quo non datur ultra.*

conciliare sibi studeret. Bona enim, quae Aratus Corinthi habebat, neque attigit ipse neque alios attingere passus est, sed amicis ejus et curatoribus accitis, omnia eos ita curare et custodire jussit, ut qui Arato aliquando rationes essent reddituri [1]. Privatim autem Tripylum et deinde Megistonum vitricum ad eum misit, cum alia multa promittens, tum duplum ejus stipendii, quod a Ptolemaeo quotannis accipere solitus fuerat Aratus: eâ lege, ut ipse Achaeorum dux designaretur et unâ cum iis Acrocorinthum teneret. At vero, ut miserrimam ejus conditionem eximie depinxit Plutarchus, qui triginta et tres annos Achaeorum rempublicam administraverat ac potentiâ et gloriâ primas inter Graecos egerat partes, tunc, desertus, contritus, inops, veluti in naufragio patriae, fluctibus undique et periculis agitabatur. Respondet igitur: non tenere se sed potius teneri. Ad haec furibundus Cleomenes, quippe ludificari se existimans, irruptione statim factâ, Sicyoniam hostiliter vastavit et obsidione Sicyonem cinxit.

---

1) Hannibalem ejusmodi strategemate usum esse tradit Livius XXII. 23. cf Thucyd. II. 13.

Aratus, qui oblatam sibi Praeturam constanter hactenus, cum multorum reprehensione repudiaverat, tandem, sive civium periculo commotus, sive quod consiliorum suorum exsequendorum liberiorem se nacturum facultatem speraret, Praetorem se, cum pleno rerum arbitrio, qui honor in neminem ante collatus fuerat, creari passus est delectorumque civium praesidio muniri. Per tres igitur menses urbem obsedit Cleomenes, perseverante Arato multumque dubitante an Acrocorinthum traditurus esset Antigono. Interim Achaei Aegium convenerant eoque Aratum vocabant. Hac autem opportunitate multitudinis erga eum sensus amantissimus, mirum in modum, eluxit, et nemo profecto sit, nisi qui humanitatem plane exuerit, quin hanc scenam mentis oculis intuendo commoveri se contristarique sentiat. Quum nempe hostis ad urbem castra haberet omnesque a terrâ exitus interclusos teneret: periculum omnino erat Aegium proficisci; quo tamen obstaculo cum a proposito itinere nequaquam deterreretur Aratus: ecce cives, anxiâ de ejus salute curâ solliciti, circumfusi undique, eum retinebant: mulieres quoque et pue-

ri, tamquam communem patrem servatoremque, flebili amplexu, ne se temere objiceret periculo, obsecrabant. At vero irrita omnia. Jacta alea erat. Eos igitur consolatus, utque bona spe essent, hortatus, ad mare equitavit, decem secum amicos ducens et filium jam adolescentem. Conscensis navigiis, Aegium ad concilium pervecti sunt. Ibi jam, auctore Arato, decretum fuit, ut, traditâ Acrocorintho, advocaretur Antigonus: quod ut sanctiori fide firmaret (si per invidiam rei ita loqui fas est), inter reliquos obsides filium quoque suum misit Aratus. Corinthii irritati, bona ejus diripuerunt domumque Cleomeni dono dederunt.

Ille dies primus leti primusque malorum
Causa fuit.

Sed quoniam, narrationis filum pertexendo, ad hunc eam novum plane rerum statum deduximus: cognitu inprimis dignum videtur, quid Arati biographus de hoc ejus facinore senserit.

§. 5.

Plutarchi et Polybii de rebus Arati et Cleomenis judicium.

Φημὶ μὲν δεῖν, οὐκ ἐν μικρῷ προσλαμβάνεσθαι τὴν τοῦ συγγραφέως πίϛιν οὐκ αὐτοτελῆ δὲ κρίνειν· τὸ δὲ πλεῖον, ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι τοὺς ἀναγινώσκοντας τὰς δοκιμασίας.

Polybius.

Plutarchus cum illis maxime adjungendus sit scriptoribus, qui rerum gestarum expositioni suum etiam judicium inserere soleant, ut, quid quâque de re ipsi judicent, palam lectoribus fiat: hic quoque campum, in quem late excurreret, apertum sibi vidit. Et sane pauca, in ejus vitis parallelis, loca reperias ubi, datâ operâ, tam fuse, tam meditate, de uno eodemque argumento animi sensus aperiat. Neque enim in eo tantummodo scripto, ubi, ut in Arati fata vitamque diligentius inquireret, primarium habuit propositum, sed in Cleomenis quoque, ejus aemuli, rebus exponendis, datâ opportunitate, ean-

dem materiam, simili rursus, immo intentiore curâ, persequitur. Si verum video, in Arati vitâ concinnandâ, Plutarchus mirifice sibi placuit. Et vero, Graecum, indolis excelsae, patriae amantissimum, nihil certe majore perfundere laetitiâ potuit, quam illa, pro Graeciâ in pristinam libertatem vindicandâ, alto spiritu suscepta pericula exantlatique labores, nihil delinire animum blandius, quam illius foederis recordatio, quo resuscitari potuisse Peloponnesum crederes, nisi humana imbecillitas operi intercessisset praeclaro. Jam vero, quanto excelsiore, illud contemplando, affectus gaudio fuerat, tanto eum dolentius, veluti spe suâ delusum, istum rerum Arati deplorasse exitum, verisimili utique conjecturâ efficias. — Quam indulgenter autem, quantâ humanitate, quam longe a nimiâ iracundiâ odioque acerbo remotus, perversa praeclarorum hominum facta tradere et dijudicare sibi proposuerit, memorabilis testatur in praefatione ad vitam Cimonis locus, ubi sic disputat: „proinde ut eos qui pulcherrimas et elegantissimas formas depingunt, si quid illis adhaereat minus venustum, neque omit-

tere plane volumus neque exprimere exactius: quod hoc turpem, illud propositae formae dissimilem esset adspectum praebiturum: ita, quando difficile est, immo plane fieri nequit, ut hominis vita inculpata prorsus atque ab omni parte pura sit, in iis, quae laudem merentur est veritas, tamquam similitudo, plane exprimenda; si quae autem vitia et naevi, seu ex affectu aliquo, seu civili necessitate incurrerunt in ipsas actiones, existimare debemus defectus potius virtutis esse quam nequitiae vitia atque ideo nequaquam nimio studio aut operose in historiâ exagitare, sed quasi pudore, naturam humanam contemplantes, moveri, quae nullum praeclarum ingenium sincerum aut perfectum virtutis exemplar protulerit." Egregie profecto consultum Arato diceres, cui hujuscemodi lenis et mansuetus perversitatis humanae judex obtigerit: sed, nescio quomodo, in illo tamen Arati facinore dijudicando, in multis quidem recte, in nonnullis vero processisse paullo iniquius videatur. Ejus igitur sententia, summatim exposita, haec est: „Turpissimum facinus seque rebusque, ante actis,

maxime indignum admisit Aratus, qui, in auxilium sibi arcessens Antigonum, copiisque et praesidiis Macedonicis, cum Gallorum Illyriorumque comitatu, Peloponnesum implens, servitutem denuo barbariemque in illam regionem invexerit. Hoc autem, ait, patravit is, qui, omnibus regibus suspectus atque infensus, frangere Macedonum opes impensissimo studio connitebatur et huic Antigono mille commentariorum suorum locis obtrectat: hostes idem armatos in patriam Penatesque suos, ad gynaeceum usque, adducit, blando sociorum nomine dominos imponit civitatibus. Regem vero Spartanum, ab Hercule (tamquam a genuina stirpe) oriundum, qui avitam reipublicae formam, veluti solutum instaurando concentum, Doricum illum Lycurgi modum vitamque temperantem repetebat, qui principatum sibi ab Achaeis deferri ita cupiebat, ut, ejus honoris nominisque gratia, multa se urbibus beneficia praestiturum esse profiteretur, Sicyoniorum et Tritaeorum ducem scribi indignum putat. Scilicet, sive diffidens Cleomeni metuque compulsus, sive quod insperatis ejus invideret successibus indignumque

putaret, sibi, qui per viginti tres annos, primas tenuisset partes, juvenem, subito exortum, gloriam simul potentiamque eripere imperiumque a se auctum et tamdiu occupatum evertere,, mazam etiam fugiens et pallium et pecuniarum divisionem pauperumque sublevatam inopiam, diademati, purpurae Macedonicisque et satrapicis mandatis se Achaïamque subjicit, immo Antigonia sacrificat coronatusque paeanes canit in honorem viri tabe putrescentis, id agens, ne a Cleomene imperata facere videatur." — Post hanc autem satis asperam reprehensionem, memorabilem, quaeso, attendas epilogum: „sed ista quidem non Arati accusandi causa scribimus (in multis enim hic vir Graeciâ dignus magnusque fuit), sed naturae humanae deplorantes infirmitatem, quando ne in tam praeclaris quidem insigniterque ad virtutem aptis ingeniis, proferre aliquid, quod omni labe vacuum sit, pulchrum potest." — Sed rem accuratius consideremus.

De facti turpitudine, si auctores consulis, qui recentiore aetate scriptis suis res Achaeorum amplexi sunt, quantum mihi quidem innotuit, una

omnium Plutarcho adsentiens vox est: Macedoni, avito Graeciae hosti, Graecus, illustrissimi foederis dux, patriam opprimendam dedit. Fidem popularibus debitam, in re omnium gravissimâ, fregit. Quo sanctiora patriae et libertatis nomina, eo magis culpandus. Minime hoc in loco subsistendum censeo, sed maximopere dolendum, quod, quo tempore, inde a Philippo, Amyntae filio, recuperandae libertati nullum Graecis opportunius fuit, eo ipso Peloponnesum, principum virorum discordiâ dilaceratam traditamque hosti comperimus. „Nunquam," ait auctor, de Spartae rebus meritissimus, „inde ab illius regis aetate, Macedones vim suam in Peloponneso tam plane amiserant; nunquam parvae civitates, et ad sua, et ad aliena jura tuenda, ampliore numero consociatae fuerant; nunquam viri rerum civilium peritiores, belli duces magis strenui imperium gesserant [1])." Quod etiam sensisse Plutarchus videtur, quum in vita Cleomenis, capite XVI°. sic scriberet: *τοῦτο διελυμήνατο τὰ πράγματα τῆς Ἑλλάδος ἀμωσγέπως ἐκ τῶν παρόντων ἀναλαβεῖν αὐτὴν*

1) Manso I, VI. p. 362.

ἔτι καὶ διαφυγεῖν τὴν Μακεδόνων ὕβριν καὶ πλεονεξίαν δυναμένης.

Neque eximiis Antigoni virtutibus invidiam facti leniri puto. Celebratur omnino hujus viri probitas, industria, fides; alia, rege digna, de eo commemorantur: immo magnificum in illius memoriam consecratum a Polybio epitaphium cernas, tamquam viri, qui non solum propter eorum, quae palam gererentur, usum, sed magis etiam, propter totius vitae institutum pulcherrimum, omnibus Graecis spem sui praeclaram ostenderet, καλὰς ἐλπίδας ὑποδείξας ἐν αὐτῷ πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν, οὐ μόνον κατὰ τὴν ἐν τοῖς ὑπαίθροις χρείαν, ἔτι δὲ μᾶλλον κατὰ τὴν ὅλην αἵρεσιν καὶ καλοκαγαθίαν [1]). Atqui Macedo erat. Hoc unum si quis rite attendere voluerit, nullis amplius verbis rem indigere sibi persuadebit. Quam parum autem ipse Antigonus, in Graeciâ subigendâ, a majorum sibi via deflectendum censuerit, ecquem acta ejus reputantem, fugere queat? Primum enim, nisi Acrocorintho traditâ, opem se Peloponnesiis

1) II. 70.

laturum esse constanter negavit; tum vero, quum, superato Isthmo, urbes plurimas, Cleomeni ereptas, Achaeis restitueret, Orchomenum ipse sibi vindicavit retinuitque, id agens, ut, non aditum dumtaxat liberum in Peloponnesum haberet, sed mediterranea etiam custodiret, ope praesidii, quod illi Arcadiae urbi imposuisset [1]. „Enim vero," ait Chlaeneas, in oratione, quam ab eo apud Lacedaemonios habitam idem auctor tradidit, „Antigonus bellum adversus vos suscepit, non eo sane consilio, ut Achaeos servaret, aut quod, tyrannide Cleomenis offensus, in libertatem vindicare vos vellet, (nimiae certe stultitiae specimen daret, si quis vestrum ejusmodi de eo opinionem conceperit), sed intelligebat nimirum, si vestrum semel in Peloponnesios imperium foret constitutum, suam sibi parum tutam dominationem futuram;" et paullo post „timore simul et invidiâ commotus aderat, non ut Peloponnesiis ferret opem, sed ut spes vestras vobis eriperet, potentiamque vestram eminentem humiliorem

1) IV. 6.

redderet [1])." Quae verba, ab hoste profecta et hostilis animi plena, nihilo secius verum continere, vel maxime, videntur. Quamvis igitur Antigonus auctoritatem, quam in rebus Peloponnesi nuperrime nactus erat, modice omnino humaniterque exercuit [2]), nihilominus rem acu tetigisse Plutarchus censendus est, quum „venatorem illum Aesopi revera imitatum esse" ait, „neque prius Achaeos orantes perque legationes et decreta ei se submittentes veluti conscendisse, quam, datis obsidibus receptoque praesidio, pati fraenum didicissent: *ἀτεχνῶς τὸν Αἰσώπου μιμησάμενος κυνηγόν· οὐ γὰρ πρότερον ἐπέβη τοῖς Ἀχαιοῖς δεομένοις καὶ ὑποβαλλουσιν αὐτοὺς διὰ τῶν πρεσβειῶν καὶ τῶν ψηφισμάτων ἢ τῇ φρουρᾷ καὶ τοῖς ὁμήροις ὥσπερ χαλινουμένους ἀνασχέσθαι·* cumque paullo supra „dominos Aratum urbibus dedisse" contendit, „blando sociorum nomine rei invidiam quasi mitigantem: *ἐπάγεσθαι δεσπότας ταῖς πόλεσι συμμάχους ὑποκοριζόμενον.* Jam

1) IX. 29.

2) Antigoni humanitatem inprimis Sparta experta est. Polyb. II. 70. Plut. *V. Cleom.* c. XXX.

vero, quemnam, ipso Arato melius, haec tenuisse statuamus, cujus tota vita, ante acta, in Macedonibus oppugnandis, occupata, quique, in hac, veluti primarià cogitatione, ob id ipsum, defixus fuit, quod illos, sive hostiliter, sive pro dominis, et egisse semper sciret, et semper acturos, nisi eorum imperium funditus deletum fuisset? Quid igitur, si lupo, pelle agninâ positâ, saevire aliquando in misere deceptos collibuisset? Undenam tunc salus petenda desperantibus fuisset? Quonam pretio flagitium illud suum redimendum? Haec, ni fallor, dubitatio viri pectus, variis affectibus exagitatum misereque distractum, opprimere debuit et revera oppressit. Quum enim Antigonus jam cum exercitu adventaret, Aratus ei, clam hostibus, ad Pagas cum demiurgis, ad dandam accipiendamque fidem, obviam ivit, *οὐ πάνυ τι θαῤῥῶν τὸν Ἀντίγονον οὐδὲ πιςεύων τοῖς Μακεδόσιν· ᾔδει γὰρ ηὐξημένον ἑαυτὸν ἐξ ὧν ἐκείνους κακῶς ἐποίησε καὶ πρώτην εἰληφότα μεγίςην ὑπόθεσιν τῆς πολιτείας τὴν πρὸς Ἀντίγονον τὸν παλαιὸν ἔχθραν. Ἀλλά*, ita subjungit Plutarchus, *ὁρῶν ἀπαραίτητον ἐπικειμένην ἀνάγκην καὶ*

τὸν καιρὸν ᾧ δουλεύουσιν οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, ἐχώρει πρὸς τὸ δεινόν [1]).

Sed ut jam intentius causas consideremus, quae, secundum Plutarchum, tanti viri animum ad istiusmodi facinus perpetrandum subigere et veluti a se ipso alienare potuerint: primo loco, ut vidimus, metum, diffidentiam, invidiam memorat. Et vero, quod ad Cleomenis metum attinet, quo ductum Aratum intelligimus, eximie, ut paucis defungar, quadrare in eum censeo, quae de Octaviano Caesare cecinit Antonio vates: *ὁ γὰρ σὸς δαίμων τὸν τούτου φοβεῖται καὶ γαῦρος ὢν καὶ ὑψηλὸς, ὅταν ᾖ καθ' αὑτὸν, ὑπ ἐκείνου γίνεται ταπεινότερος ἐγγίσαντος καὶ ἀγεννέστερος* [2]). Nam ubi primum ingentem Cleomenis animum coepit suspicari, atque, ut ajunt, ex ungue nosse leonem, trepidus nauta, vela contraxit. Hanc autem formidinem ortam ex diffidentia in diesque auctam esse, vere statuas. Causas autem, cur admodum diffideret, exstitisse sonticas, nemo, credo

---

1) V. Ar. c. XLIII. Inexorabilem istam necessitatem a Pausania quoque jactatam cernas.

2) V. Antonii c. XXXIII.

infitias ibit. Qualiscunque enim caeterum vir ille habendus est, quem Plutarchi praeconium tantopere nobilitavit, qui divinum quendam spiritum movere Phylarcho potuit, qui Polybium, haud unâ in re, invitum, ut vere mihi dicere videor, laudatorem invenit: ei certe similis fuisse videtur qui

acer,

Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Si verum video, egregiis ille condecoratus virtutibus, insatiatâ imperandi lubidine, Iulium Caesarem adaequabat. Talem autem virum gubernacula, semel arrepta, facile missurum fuisse, quis est, qui existimet? Immo vero dominari, nullis limitibus circumscripto imperio maluisset, quam, quae non arbitrio ipse suo sanxisset, reverentiâ prosequi. Age, Arati contra recolamus imaginem, qualis fuit, quum, *florente*, ut ait poëta, *aetate fervidus*, unum foedus Achaïcum, delicias suas, intuens, pro eo corroborando, amplificando, illustrando, curas omnes, aerumnas, vigilias nihili duceret. In delubro illo augustissimo exaedificando, (quid societate populorum augustius, sanctius?) omnem intente transëgerat vitam. Ubi

illius basis contremuerat, inconcussus ipse manere potuit? Immo e longinquo procellam imminentem prospexit, et, jam tum incognito quodam horrore perfusum pectus sensit.

Cleomenes, solerti consilio usus, agrorum divisionem debitorumque remissionem, tamquam defectionis mercedem, ostentans, multas jam, ut vidimus, in Peloponneso civitates ad suas partes traduxerat. Mantineënsibus eum revera leges suas et regiminis formam reddidisse Plutarchus tradit [1]. Argivi autem, tabulas novas sperantes, quum votum iis non statim implesset, iterum ab eo desciverunt [2]. Quin justam plurimi, ut disertis verbis notavit idem, Lacedaemoniorum petitionem ideo aestimabant, quod ad avitam formam Peloponnesum se redacturos profiterentur [3]. Sic laceratum foedus et ab omni parte concussum ruinam minabatur; sic, pro Peloponnesi concordiâ, aequalitate populorum, optimis legibus humanissimisque institutis firmatâ atque sancitâ,

1) V. Cleom. c. XIV.
2) Ib. c. XX.
3) c. XVI.

quam ardenti voto usque Aratus speraverat, maximopere erat verendum, ne Spartae, civitati Doricae, principatus iterum obtingeret, quo quam benigne uti sciret, historia testis erat!

Neque tamen metum illum, quamvis justum et tali viro dignissimum, valuisse tantum statuam, quin turpi quoque invidiae affectui tribuendum, cum Plutarcho, multum censeam. Modo hoc subjungere liceat: quicunque non plane iniquum judicem agere, sed Arati conditionem, a partium studio odioque liber, perpendere voluerit, fatebitur, credo, quo esset ille loco, non invidere, idem propemodum fuisse atque naturae humanae superare vires. Fingamus animo virum, in senectutem jam devexâ aetate, qui, per longam annorum seriem, primas in republica sua egerat partes, qui supremae auctoritatis dulcedinem eo sinceriore perceperat gaudio, quo ad veram sibi gloriam summâ ope nitenti, delata impensiore studio, sive potius obtrusa a popularibus suis fuerat, qui in nullo non gravioris momenti negotio, unum illum respicere, ab uno illo exspectare salutem consueverant. Tali viro en tibi

repentinum exortum juvenem, intentissimâ curâ prosperrimoque successu in eo occupatum, ut potestatem illam gloriamque, diuturno labore quaesitam, subrueret, ut imperium ad tantum fastigium ab illo evectum et tamdiu splendide vindicatum, insolitâ audaciâ, in semet ipsum transferret, coronamque, ut ita dicam, illius capiti detractam, exsultanti sibi et superbienti imponeret. Nam ubi summae rerum praefuturus Cleomenes erat, de Arati auctoritate tantum non actum fore, verisimili sane conjecturâ unusquisque assequi poterat, quae si leviter placideque nullâque invidiâ vexatus, ferre valuisset, de stoico sapiente, reverane in rebus humanis exstare possit, quis amplius dubitet? Aptius, ad generosiorum certe virorum indolem exprimendam, Thucydides l. II. c. 44: *τὸ γὰρ φιλότιμον ἀγήρων μόνον καὶ οὐκ ἐν τῷ ἀχρείῳ τῆς ἡλικίας τὸ κερδαίνειν μᾶλλον τέρπει, ἀλλὰ τὸ τιμᾶσθαι.* —

Hujus equidem viri, hac in causa, patrocinium suscipere nolim: verumtamen, sine ira aut studio, ex summi auctoris praecepto, humaniterque, non acerbe, ut ipse Aratus jure postulavit, res ejus

considerandas censeo. Quocirca, qui in exponendis causis, quibus Praetor Achaeorum permotus, Acrocorintho traditâ, aditum Macedonibus in Peloponnesum patefecerit, hactenus Plutarcho adsensi, idem non possum, quin in illis, quae praeterea eidem viro imputat, ab ejus sententia aliquantum deflectam. Locus, quem respicio, hic est: *τὸν δ' ἀφ' Ἡρακλέους γεγονότα — οὐκ ἠξίου Σικυωνίων ἡγεμόνα καὶ Τριταιέων γράφεσθαι, φεύγων δὲ τὴν μάζαν καὶ τὸν τρίβωνα καὶ, τὸ δεινότατον ὧν κατηγόρει Κλεομένους, ἀναίρεσιν πλούτου καὶ πενίας ἐπανόρθωσιν διαδήματι καὶ πορφύρᾳ καὶ Μακεδονικοῖς καὶ σατραπικοῖς προστάγμασιν ὑπέῤῥιψε μετὰ τῆς Ἀχαΐας αὑτὸν, ἵνα μὴ Κλεομένει ποιεῖν δοκῇ τὸ προσταττόμενον.* Rogari primum possit, quare Sicyonios potissimum et Tritaeenses hoc loco memoraverit? De Sicyone quidem, Arati patriâ, probabilis causa esto. Sed quare Tritaeam? Nonne parvae hujus urbis, in ipsa Achaïa sitae, mentione, ubi totius fere Peloponnesi principatus agebatur, invidiam facti, novam ei maculam adspergendo, augere immerito videtur? Nisi forte causam aliquam,

nobis occultam, subesse existimes, quâ ad hujus, prae caeteris, loci mentionem faciendam impulsus fuerit. — Quâ autem in re multo iniquius de Arato judicasse Plutarchum opinor, haec est: quod illum subjecisse se Achaïamque invisae regum Macedonum purpurae et diademati satraparumque edictis hanc ob causam ait: ,, quod simplicem Spartanorum cultum victumque frugalem refugeret, quod nimiarum istam divitiarum divisionem pauperumque sublevatam inopiam vehementer repudiaret." Arato certe, si ulli unquam viro, animus divitiarum luxuriaeque contemtor victorque obtigit, quod haud unum, in ejus vitâ, exemplum evincit. Quid? vitam ejus simplicem ab omnique fastu alienam, expressis verbis idem Plutarchus celebrat [1]). Rationem quidem violentiorem, quâ novus ille rerum ordo inductus nuperrime Spartae fuerat, parum utique arrisisse Arato, ex hujus viri indole facile efficias; sed, fac ipsam illam aequalem bonorum distributionem probatam ei minime fuisse, talemque ejus menti, qua-

1) V. Ar. c. XXVI.

lem expressit Cicero [1]), insedisse opinionem: tamen si, eâ receptâ, jugi Macedonici opprobrium arcere a Peloponneso potuisset, num dubites, virum, vivido patriae inflammatum amore, istiusmodi rerum commutationem, vel maxime invitum, laturum fuisse? Verum enimvero: invisi aemuli ipsiusque ruinâ magni, Cleomenis imago, perpetuis illum terroribus anxie exagitabat.

Quid porro, ut reliqua persequar, immorari tamdiu adtinebat pompis istis et sacrificiis, tamque atris ea adumbrare coloribus, quae instituta a viro fuerant, quem, non jam suum, infausta rapiebat dies? Ne mihi irascantur humanissimi philosophi Manes, si, quam ipse, vel erga culpâ aliquâ graviore lapsos, indulgentiam suavissimis verbis professus est, hoc sane loco, aegre desidero. Sed, aut equidem fallor, aut Plutarchi de Arato judicium inde potissimum istam acerbitatem contraxit, quod, summâ rerum Spartanarum admiratione captus, deque Cleomenis in rebus Graeciae ordinandis consilio magnifice

---

1) *De Offic.* II. 22.

sentiens, anguem sub herbâ latere posse, ne suspicatus quidem videatur.

Regis Spartani, saepius memorati, vitam cum rebus Arati vinculo haud dissolvendo esse connexam, et supra monui, et satis unicuique patere existimo. Quare ubi ad Plutarchi de eo judicium exhibendum jam devenit oratio: age, Polybii etiam collatâ sententiâ, de hujus viri instituto quaedam subjungamus. Quod tamen priusquam aggredior, quid de Polybii in rebus Arati judicio sit existimandum, paucis investigemus.

Quo intentius quis animum ad hujus auctoris de Arato tradita adplicuerit, eo magis, credo, sententiae, a clarissimo Heereno prolatae, veritatem perspiciet. Is enim, in commentatione laudatâ „ Polybium si dixeris, idem fere esse ac si Aratum" contendit. Quod inprimis de illis valet, quae ad res contra Cleomenem gestas pertinent. In memoriam autem qui revocaverit, quae de fontibus ex quibus et

Polybius et Plutarchus sua hauserint, supra monuimus, sponte in locum incidet, quo ille se in hisce rebus enarrandis Arati maxime vestigia pressisse testatur. Mirari certe multos subeat auctorem gravissimum quique officium historici quam probe teneret, haud uno loco luculenter declaraverit, in tam suspecto negotio, ipsius rei non dico audivisse, quod aequitas postulabat, sed, posthabitis aliis, admisisse testimonium deque singulari ejus fide palam fuisse professum, quem et facere et dicere multa, simulandi causa, fuisse coäctum, eorumque nonnulla in commentariis suis omisisse ipse affirmat. Propensum Polybii in Aratum animum, uno alterove exemplo, ostendamus. Libro v. c. II. c. 46, postquam de hostilibus Aetolorum in Achaeos inceptis verba fecerat, ita subjungit: *ὃ δὴ καὶ ταχέως ἂν ἐκ τῶν κάτα λόγον ἐπετέλεσαν, εἰ μὴ τὸ κυριώτατον παρεῖδον τῆς προθέσεως· οὐ συλλογισάμενοι διότι ταῖς ἐπιβολαῖς Ἄρατον ἕξουσιν ἀνταγωνιστὴν ἄνδρα δυνάμενον πάσης εὐστοχεῖν περιστάσεως. τοιγαροῦν ὁρμήσαντες ἐπὶ τὸ πολυπραγμονεῖν καὶ χειρῶν ἄρχειν ἀδίκων, οὐχ οἷον ἤνυσάν τι τῶν ἐπινοηθέντων· ἀλλὰ τοὐναντίον καὶ τὸν*

Ἄρατον τότε προεστῶτα καὶ τὸ ἔθνος ἐσωματοποίησαν πραγματικῶς ἀντιπερισπάσαντος ἐκείνου καὶ λυμηναμένου τὰς ἐπιβολὰς αὐτῶν. Aratum igitur virum vocat, qui quovis rerum statu commode uti hostiumque conatus solerter in contrarium vertere et frustrari sciret: quo praeconio, quamvis vero, hac certe opportunitate edito, nihil magis praeposterum habendum est. Aetolos, nihil eorum quae sperassent consecutos, Aratum qui tunc foederi praeesset gentemque ipsam fecisse potentiores et veluti corpus iis addidisse ait. At quonam isto, quaeso, incremento aucti! Nonne ad talem exitum res fuisse perductas, gavisum Polybium et gloriatum crederes? — Eundem si audias auctorem: Achaei, in angustias a rege Spartano redacti, nihil potius optarunt, quam, ut Antigonum arcessentes, discrimini suo subvenirent. Ejusdem enim libri c. 50 haec habes: *Δίοπερ, ἅμα τῷ παρελθόντας τοὺς Μεγαλοπολίτας εἰς τὸ κοινὸν βουλευτήριον, τά τε γράμματα τοῖς Ἀχαιοῖς ἐπιδεικνύναι καὶ διασαφεῖν τὴν ὅλην εὔνοιαν τοῦ βασιλέως, πρὸς δὲ τούτοις ἀξιοῦν ἐπισπάσασθαι τὸν Ἀντίγονον τὴν ταχίστην, εἶναι δὲ καὶ τὸ*

πλῆθος ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμῆς rlq. c. 51, post pugnam in agro Dymaeensi, communi eos consensu, ὁμοθυμαδόν, dilationem rebus jam non ferentibus, ad Antigonum confugisse affirmat, et, sibi certe constans, ne levissimam quidem eorum mentionem inserit, qui, secundum multo verisimiliorem Plutarchi narrationem, ubivis Peloponnesi, satis amplo numero, Cleomenis partes amplexi, irascerentur Arato, quod Macedonum opes in ipsorum patriam denuo inferret. Rebus suis fucum ab Achaeorum duce oblitum, nemo quisquam, naturae humanae vel paululum gnarus, mirabitur: at, mirabuntur certe multi „*historiae leges, primam: ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo ne qua simultatis*," [1]) hasce igitur leges Polybium adeo fuisse transgressum. Polybium, inquam. Qui enim inveniri historiarum scriptor possit, qui, quantum sibi ad veritatem esset enitendum, fusius ipse professus fuerit et magnificentius? Attendas v. c. locum omnium praestantissimum l. I. c.

---

1) Cicero *de Orat. II.* 15.

14, ubi de historici officio sic disputat: *ἐν μὲν οὖν τῷ λοιπῷ βίῳ τὴν τοιαύτην ἐπιείκειαν ἴσως οὐκ ἄν τις ἐκβάλοι καὶ γὰρ φιλόφιλον δεῖ εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ φιλόπατριν καὶ συμμισεῖν τοῖς φίλοις τοὺς ἐχθροὺς καὶ συναγαπᾷν τοὺς φίλους, ὅταν δὲ τὸ ἱστορίας ἦθος ἀναλαμβάνῃ τις, ἐπιλαθέσθαι χρὴ πάντων τῶν τοιούτων· καὶ πολλάκις μὲν εὐλογεῖν καὶ κοσμεῖν τοῖς μεγίστοις ἐπαίνοις τοὺς ἐχθρούς, ὅταν αἱ πράξεις ἀπαιτῶσι τοῦτο· πολλάκις δὲ ἐλέγχειν καὶ ψέγειν ἐπονειδίστως τοὺς ἀναγκαιοτάτους, ὅταν αἱ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἁμαρτίαι τοῦθ' ὑποδεικνύωσιν. Ὥσπερ γὰρ ζώου τῶν ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειοῦται τὸ ὅλον· οὕτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τῆς ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίγνεται διήγημα.*

Libro XII°. c. 7. duplex idem scriptor esse mendacii genus contendit: unum quod ab ignoratione veri proficiscitur, alterum, quod a certo proposito mentiendi; qui per ignorationem a veritate aberraverint, his veniam esse dandam, qui voluntate et certo proposito, implacabili eos odio esse prosequendos. Utrius igitur mendacii generis Polybius arguendus est? Neutrius, credo; sed illi fortasse acciderit,

quod de Philino et Fabio ipse tradidit. Hos igitur, belli Punici I. scriptores, veritatem, quâ fide oporteret, nequaquam retulisse docet. „ Ac de industriâ quidem," ait, „ mentitos, cum vitas ipsorum et partes quas secuti sunt, specto, non existimo: sed accidit illis opinor, quale amantibus solet. Nam, ob studium partium et effusum in Carthaginienses favorem, Philino quidem omnia hi prudenter, recte, fortiter videntur fecisse, Roman secus: Fabius vero contrarium pronuntiat." [1])

Neque tamen ubivis eodem partium studio res Arati tractavit, sed saepe veluti se recolligit, ejusque etiam peccata haud reticens, historici denuo partes, pro more suo, eximie tuetur [2]).

Sed, hisce expositis, quale de Cleomenis quoque instituto, duumviri illi praeclarissimi tulerint ju-

1) I. 14.

2) Cf. viri cl. van Goudoever disputatio *de historicis Polybii laudibus p.* 24. et ejusdem viri *Orationem*, *loco supra laudato.*

dicium, jam videndum erit. Plutarchus igitur, ut de prisca Spartanorum reipublicae forma auctore Lycurgo instituta praeclarissime sensit, ita magnificis fere verbis extollere eam solet. Modo enim regibus Spartanis, saepius dictis, propositum fuisse ait *τῶν παραδειγμάτων τὸ κάλλιϛον καὶ μεγαλοπρεπέϛατον, αἱ πάτριοι ῥῆτραι περὶ σωφροσύνης καὶ ἰσότητος, ὧν τούτοις μὲν ὁ Λυκοῦργος, ἐκείνοις δὲ ὁ Πύθιος βεβαιωτής*· modo Cleomenem laudat, Heraclidam, *τὴν πάτριον πολιτείαν ὥσπερ ἁρμονίαν ἐκλελυμένην ἀνακρουόμενον αὖθις ἐπὶ τὸν σώφρονα καὶ Δώριον ἐκεῖνον τοῦ Λυκούργου νόμον καὶ βίον.* In ipsa Lycurgi vita, ab eodem auctore conscripta, c. XXXI. leguntur haec, quae, nisi ab ingenio admiratione repleto, proficisci nequaquam potuerunt: *ὁ δ' ἔργῳ πολιτείαν ἀμίμητον εἰς φῶς προενεγκάμενος καὶ τοῖς ἀνύπαρκτον εἶναι τὴν λεγομένην περὶ τὸν σοφὸν διάθεσιν ὑπολαμβάνουσιν ἐπιδείξας ὅλην τὴν πόλιν φιλοσοφοῦσαν, εἰκότως ὑπερῆρε τῇ δόξῃ τοὺς πώποτε πολιτευσαμένους ἐν τοῖς Ἕλλησι.* Neque hîc omittendus videtur locus, omnium maxime sublimis, ejusdem vitae c. XXIX. quo, quemadmodum, se-

cundum Platonem, mundo creato seseque primum movere incipiente, delectatus Deus fuerit: ita legislatorem Spartanum legum suarum jam in actionem perductarum et viâ procedentium pulchritudinem amplitudinemque, summo cum amore, demiratum ait. Cui praeconio quid, quaeso, ad decus insigne addi possit?

Non hujus esse loci arbitror, haec Plutarchi sententia satisne firmo nitatur fundamento explorare ulterius, neque etiam in eorum inquirere judicium qui nimium ei erga Lacedaemonios propensam voluntatem hujusque gentis rerum ornandarum studium imputent [1]). Modo ex locis allatis pateat, laudes illas in Lycurgeam rationem largiter profusas, quantopere redundare in illum debuerint, qui revocare antiquos mores, leges, instituta, summa ope fuit connisus. At cui Cleomenis consilium maxime arrisit, placidus idem philosophus, abhorruit a viâ, quâ pergendum sibi rex fortissimus censuit. Violentius eum et ratione temerariâ atque crudeli, in

1) Heyne *Disp. de Spartanorum republicâ et institutis in Comm. Soc. Gött. Vol. IX.* cf. Heeren *in disquis. de fontibus V. Lycurgi.*

mutando reipublicae statu, egisse dicit, trucidantem Ephoros praeter jus fasque, quos vel ad partes suas adjungere, armis superior, vel, multorum instar, in exilium mittere facile potuisset. *Τὸ γὰρ*, ita subjungit, *ἄνευ τῆς ἐσχάτης ἀνάγκης ἐπιφέρειν σίδηρον οὔτ' ἰατρικὸν οὔτε πολιτικὸν ἀλλ' ἀτεχνίας μὲν ἀμφότερα, τούτῳ δὲ καὶ τὸ ἀδικεῖν μετ' ὠμότητος πρόσεστιν* [1]. —

Polybium supra invitum, haud una in re, Cleomenis laud atorem vocavi. Et vero, hujus auctoris de rege Spartano tradita reputans, ab una parte flagrans odium, ab altera magnam dominari viri admirationem cernes. Polybius duplici maxime nomine infensus Cleomeni erat: primum, quia foedus Achaïcum, quod tantis ille celebraverat laudibus cujusque ipse aliquando pars magna fuerat [2], oppugnare,

---

1) *In comparatione cum Gracchis c. IV. cf. V. Ar. c. XXXVIII.*

2) De Polybii in Achaeos meritis honoribusque propterea ei oblatis vide testimonia veterum, quae collegit Schweighäuserus et Editioni suae Polybii vol V. praemisit.

omnium virium contentione studuit; dein, quod ipsius patriam, Megalopolin, fidem cum Achaeis, usque ad perniciem suam, colentem, tantâ, propter id ipsum, immanitate tractaverat, *οὕτως πικρῶς διέφθειρε καὶ δυσμενῶς ὥςε μηδ' ἐλπίσαι μηδένα διότι δύναιτ' ἂν συνοικισθῆναι πάλιν* [1]. Quod igitur, in rebus Cleomenicis perscribendis, Aratum maxime sequi constituerit partesque ejus, nimio illo, de quo vidimus, studio fuerit amplexus, nonne odio illi maxime tribuendum videatur? — Sed varia hujus auctoris de Cleomene judicia conferamus.

Libro II. c. 47. sic scribit: *ἤδη δ' ἐπὶ ποσὸν τοῦ πολέμου προβαίνοντος καὶ τοῦ μὲν Κλεομένους τό τε πάτριον πολίτευμα καταλύσαντος καὶ τὴν ἔννομον βασιλείαν εἰς τυραννίδα μεταςήσαντος* rlq. Avitam igitur reipublicae formam regnumque legitimum commutasse eum in tyrannidem eamque acerbissimam [2]) contendit. Atqui priscus ille et legitimus rerum

---

1) L. II. 55. V. 93. cf. V. Cleom. c. XXIII—XXV. V. Philopoemenis c. V. De Arato, lites inter Megalopolitanos, urbis instaurandae opportunitate obortas, componente, vide *Polyb.* V. 93.

2) Cf. IX. 23.

ordo, cui vim suam gloriamque Sparta referebat debitam, jam dudum in deterius mutatus, vigere desierat; quod ipse testatur Polybius l. IV. c. 81: „Ita ergo," inquit, „Lacedaemonii, qui post latas a Lycurgo leges, pulcherrimâ republicâ usi, maximam potentiam ad pugnam usque Leuctricam obtinuerant: postquam fortuna ipsis in contrarium vertit coepitque eorum respublica magis magisque in dies retro sublabi ac ferri in pejus, ad extremum aerumnas plurimas seditionesque intestinas sunt experti." Tyranni autem nomine qualem auctor intellexerit, hisce verbis exposuit: II. 59. *αὐτὸ τοὔνομα περιέχει τὴν ἀσεβεστάτην ἔμφασιν καὶ πάσας περιείληφε τὰς ἐν ἀνθρώποις ἀδικίας καὶ παρανομίας* [1]).

---

1) Cum hac Polybianâ tyranni descriptione, digna omnino sunt quae conferantur verba Ciceronis de Rep. II. 26: *simul atque enim se inflexit hic rex in dominatum injustiorem fit continuo tyrannus, quo neque tetrius neque foedius nec diis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest: qui, quamquam figurâ est hominis, morum tamen immanitate vastissimas vincit belluas.* — Livius, Polybium secutus, Cleomenem tyrannum vocat XXIV. 26. De tyrannidis inter Graecos ortu atque naturâ cf. viri clarissimi Ph. Guil. van Heusde: *Diatribe in civitates antiquas.*

Tantaene igitur turpitudinis nota inurenda illius viri instituto erat, qui Lycurgi disciplinam, quam commentum Polybius ipse divinius censebat, quam ut ab homine proficisci potuerit [1]), resuscitare sepultam omni ope conabatur? Aliis tamen locis, egregias quoque ejus animi facultates agnoscendo, severissimum illud judicium lenire quodammodo voluisse videtur. Modo enim Cleomenes apud illum audit *ἀνὴρ καὶ πρὸς τὰς ὁμιλίας ἐπιδέξιος καὶ πρὸς πραγμάτων οἰκονομίαν εὐφυὴς καὶ συλλήβδην ἡγεμονικὸς καὶ βασιλικὸς τῇ φύσει·* [2]) modo *χρηςότατος μὲν βασιλεὺς, εὐτραπελώτατος δὲ πάλιν ἰδιώτης καὶ φιλανθρωπότατος* [3]). Alibi mortem eum honestam turpi vitae praetulisse ait [4]), singularemque suorum in eum benevolentiam memorans, quum sperarent semper exspectarentque salvum eum et incolumem Spartam rediturum, ita pergit: *οὕτως οἱ δυνάμενοι τῶν ἀνθρώπων ἐπιδεξίως ὁμιλεῖν τοῖς συμπεριφερομένοις, οὐ*

1) L. VI. c. 48.

2) V. 39.

3) IX. 23.

4) XVIII. 36. De morte heroïca Cleomenis cf. Plut. in ejus vitâ c. 37. et Polyb. V, 39.

μόνον παρόντες, ἀλλὰ καὶ μακρὰν ἀφεστῶτες, ἐγκατα λείπουσί τινα καὶ λίαν ἰσχυρὰ τῆς πρὸς αὐτοὺς εὐνοίας αἰθύγματα [1]. — Sed, quoniam ad hujus viri vitam pertinentia singula quaeque exponere, instituti mei non est: missis jam reliquis, ad Arati fata ulteriora adumbranda pergamus.

---

1) IV. 35.

CAPUT III.

Arati Macedonibus devincti fata et mors.



"Ατης θύελλαι ζῶσι.

Aeschyli Agamemnon.

Servitus mentem frangit. Nervis quippe resectis, quibus ad praeclara omnia erigi indoles generosior solet, vis vitalis animi languet neque ex ignobili disciplina prodire quidquam vere excelsum potest. Egregie igitur Homerus jam cecinit:

"Ημισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
"Ανέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλησιν [1]).

---

1) Odyss. XVII. Vs. 322.

Aratus, ex quo sub tutelâ Macedonis et in aulae splendore vivere coepit, omnem vitae splendorem amisit. Imminentem depellere pestem frustra laboravit; tandem, fato correptus iniquo, indigna morte periit.

Princeps Achaeorum, cum praestandi a Macedonibus auxilii conditionem, post diuturnas anxiasque dubitationes, accepisset iisque, ceu munimentum quoddam et futuri belli receptaculum, Acrocorinthum tradere jam decrevisset, Antigonus, de adventu Arati, Pagis sibi obvii, certior factus, caeteros quidem, ut scribit Plutarchus, vulgari salutavit comitate, illum vero, vel primo congressu, perquam honorifice amplexus est. Neque hoc tantum; sed ubi, indole ejus perspectâ, virum illum expertus fuerat, et probum, et intelligentem, et non Achaeorum modo, sed etiam inter Macedones ad regum amicitiam aptissimum, in interiorem eum admisit familiaritatem et ad omnia negotia consiliorum participem constanter adhibuit. *Καὶ γὰρ ἦν ὁ Ἄρατος οὐ μόνον ἐν πράγμασι μεγάλοις ὠφέλιμος ἀλλὰ καὶ σχολάζοντι τῷ βασιλεῖ συγγενέσθαι παρ' ὀντινοῦν ἐπίχα-*

ρις [1]). Qua in re mirabuntur sane multi, qui hoc unum semper esset professus: *τὸ εὔδαιμον τὸ ἐλεύθερον* [2]), quique videretur, cum acerrimo libertatis Romanae, contra Caesaris imperium, vindice Cassio, posse gloriari: *οὔτε βασιλεύς εἶμι οὔτε κύριος, τοῦ δὲ κυρίου καὶ βασιλέως φονεὺς καὶ κολαστής* [3]), eundem vel otio nunc regis inservire officiosum et subblandientem potuisse. Equidem ingenue fateor me hujusmodi naturae humanae inconstantiam expedire nullo modo posse et in illarum rerum reponere numero, quae, cum eas fieri videas, difficillimos tamen explicatus habent. Verum licet, quomodo agere, pro indole suâ, Aratus ita potuerit, vix explicandum censeam, quonam egerit consilio, facilius, ni fallor, intelligetur. Ex quo nimirum alieno se Achaeosque tradiderat imperio, hoc ei constans propositum fuit, ut, quoad vita suppeteret, insueti oneris gravitatem popularibus suis sublevaret timendumque Macedonis arbitrium a patria sua, pro viri-

1) V. Arati c. XLIII.
2) Thucyd. II. c. 43.
3) V. Bruti. c. XXX.

bus, arceret. Quae si quis paullo intentius perpenderit, vix dubito, quin haud pauca, caeteroquin invidiosissima, multo mitiore judicio sit persecuturus. Sed ob quaenam facinora in popularium suorum criminationes incurrerit, jam videamus.

In crimen igitur vertere ei coeperunt, quod Achaei Corinthiorum urbem Antigono dono dedissent, ut pagum, ita ajebant, quendam vulgarem, *ὥσπερ κώμην τὴν τυχοῦσαν*; quod Orchomenum ei diripiendam et praesidio Macedonico occupandam permisissent; quod decrevissent, invito Antigono, missis epistolis aut legationibus neminem regum adire; quod alere peregrinos exercitus stipendiaque illis persolvere socii essent coäcti; quod sacrificia, pompae et ludi in honorem Antigoni celebrarentur, praeeuntibus maxime Sicyoniis regemque, Arati hospitem, intra urbem suam recipientibus, quo loco verissime adnotavit Plutarchus: *ὧν ᾐτιῶντο πάντων ἐκεῖνον ἀγνοοῦντες, ὅτι τὰς ἡνίας ἐκείνῳ παραδεδωκὼς καὶ τῇ ῥύμῃ τῆς βασιλικῆς ἐφελκόμενος ἐξουσίας οὐδενὸς ἦν ἢ μόνης φωνῆς ἔτι κύριος ἐπισφαλῆ τὴν παῤῥησίαν ἐχούσης.* Liberâ autem loquendi potestate interclusâ, ne ea quidem

impedire potuit, quae summâ ipsum indignatione summoque afficiebant dolore [1]. Inter quae hoc inprimis numerandum est, quod Antigonus prostratas Argivorum tyrannorum statuas reponeret, eorum vero, qui Acrocorinthum cepissent, unâ Arati exceptâ, imperiose subverteret, nihil precibus ejus atque obtestationibus loci relinquens. Ex quo, ni fallor, patet luculenter, Plutarchi verba c. 46: *'Αντίγονος δὲ πάντα τὰ δίκαια καὶ φιλάνθρωπα τῷ 'Αράτῳ πεποιηκὼς ἀνέζευξεν εἰς Μακεδονίαν* paullo sane restrictiore sensu esse accipienda [2]. Ad ea porro quod attinet, quae in causa Mantineensium et Aristomachi, Argivorum tyranni, Arato imputabantur crudelissima: summo ardore, innocentiam ejus tuendam sus-

---

1) Huc certe valet Pindari dictum:

Φέρειν δ' ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγόν
ἀρήγει· ποτὶ κέντρον δέ τοι
λακτιζέμεν τελέθει
ὀλισθηρὸς οἶμος.

2) Succurrunt hoc loco menti meae versus Sophoclei, quos Pompejum, in Aegyptum profugum, recitantem facit Plutarchus, in *vitâ Pompeji.* c. LXXVIII:

Ὅςις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
κείνου 'ςὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

cepit Polybius, acerrime simul perstringens Phylarchum, qui, tragoedias fingendo, ad misericordiam, pro more suo, lectores trahere iisque imponere studuisset [1]).

Sed ad illa jam devenimus tempora, quae, ut plane diversum a prioribus rerum adspectum lectoribus exhibent, ita citatiore gradu perniciem attulerunt Arato, quippe ejus

haeret lateri lethalis arundo.

Dedecoris admissi acerbissimam poenam luit et in eum quoque conferri summo jure possint, quae, in persona dissimili, cecinit Homerus:

νῦν δ' ἀθρόα πάντ' ἀπέτισε.

Ad succinctam igitur rerum, in Peloponneso deinceps gestarum, narrationem ita accedamus, ut ultimorum Arati fatorum praecipua ratio habeatur.

Antigonus igitur, post pugnam ad Sellasiam, repentina invasione Sparta potitus, cum in caeteris singulari humanitate et magnitudine animi usus est erga Lacedaemonios, tum, avitâ illis reipublicae formâ re-

---

1) Polyb. II. 56—63. cf. *V. Arati.* c. 44 et 45.

stitutâ [1]), paucis diebus copias ex urbe eduxit, cum nuntiatum ei fuisset, Illyrios in Macedoniam ingressos agere et ferre omnia. Rebus igitur in Peloponneso festinanter compositis ad pacemque communem redactis [2]), et universo Achaeorum decreto, et a singulis civitatibus summis cumulatus honoribus, in Macedoniam rediit ibique non multo post morbo exstinctus est.

Patruo in regnum successit Philippus, Demetrii filius, alter hujus nominis, sub cujus imperio deinde res Macedonum, Romanorum armis Orientem versus invalescentibus, tam misere afflictae sunt. Nobis autem, qualis ejus in rebus Peloponnesi vis et efficacitas, per illud maxime tempus fuerit, quoad vixit Aratus, et huic qualem se praestiterit, inprimis considerandum erit. Antigonus igitur regnum, tutelae nomine, pro Philippo, obierat sapienter ipsumque puerum praeclare rexerat, et, cum moreretur, rebus omnibus in futurum prudenti prospexerat consilio [3]).

---

1) Polyb. II. 70. *τό τε πολίτευμα τὸ πάτριον αὐτοῖς καταςήσας·* coll. V. 9, et IX. 36.

2) IV. 3.

3) IV. 87.

Omnium vero diligentissime egerat, ut rerum Peloponnesi tuendarum summum pupillo regio inspiraret ardorem. Quocirca, jam morbo laborans, ei in illam regionem a se misso praeceperat, ut, Arato potissimum adhaerens, hujus ope, Achaïcis civitatibus innotesceret. Et vero Philippi pueri animum lenem Aratus respiciens suique studiosum, habebat quod sibi, pro re nata, maximopere gratularetur et jure speraret, fore ut externi istius imperii non nimium aliquando populares suos taedium occuparet. Nam ipsi contigit, ut eximiâ eum, et voluntate erga se, et summo rerum Graecarum praeclare administrandarum affectum desiderio in Macedoniam iterum dimitteret. Hanc autem satis probabiliter susceptam spem, quamvis, procedente tempore, plane diversus rerum exitus fefellit, initio saltem regni sui haud semel patefecit Philippus, quanta et observantia et verecundia prosequeretur Aratum, et quantopere, ejus consiliis obsequendo, Graecis commendari civitatibus [1]) potentiam-

---

1) Vide inp. Polyb. VII. 12. *καθόλου γε μὴν ἤδη μικρὸν ὑπερβολικώτερον εἰπεῖν, οἰκειότατ᾽ ἂν οἶμαι περὶ Φιλίππου τοῦτο ῥηθῆναι διότι κοινός τις οἷον ἐρώμενος ἐγένετο τῶν Ἑλλήνων, διὰ τὸ τῆς αἱρέσεως εὐεργετικόν.*

que simul suam confirmare studeret, quod multis exemplis ex bello Aetolico s. sociali, mox ingruente, patebit, de quo nunc breviter dicendum.

Aetoli nimirum, mortuo Antigono, metu Macedonum liberati, et, pro sua rapacitate, pacem jam diu iniquo animo ferentes, vixdum pacatam Peloponnesum continuis denuo incursionibus infestare coeperant eamque eo impunitiore devastandam sibi licentia diripiendamque proposuerant, quo magis et Philippi vix adultam aetatem (septemdecim annos natus regnum auspicatus erat) et Achaeorum ignaviam despectui habebant. Omnes quippe Peloponnesii, ut expresse tradidit Polybius [1]), a quo tempore regno Lacedaemoniorum Cleomenes excidit, partim superioribus fessi bellis, partim duraturum praesentem statum confisi, rerum militarium usum bellique disciplinam plane neglexerant. Hinc igitur Aetoli altiores spiritus sumentes, exscensione in Peloponnesum factâ, ipsius Achaïae nonnullas regiones populabundi invadunt, neque amicitiae ullam et societatis, quae a longo inde tempore ipsis cum Messeniis intercesserat, rationem

1) IV, 7. cf. V. Ar. c. XLVII.

habentes, horum quoque agros impetu hostili incurant. Hinc Messeniorum querelae atque expostulationes, Achaeorum ira atque indignatio. Erat eo tempore Praetor Timoxenus, qui, quum jamjam magistratu esset abiturus, et, propter causam, quam supra attuli, parum genti suae confideret, expeditionem militarem omnemque multitudinis congregationem refugiebat. Aratus vero, indigne Aetolorum injurias ferens eorumque audaciâ vehementer exacerbatus, ardenti animi impetu ad ultionem progreditur, ut qui, non tum primum, sed jam pridem illi nationi fuisset infensissimus. Quamobrem, cum Timoxenum cunctando tempus terere videret, ipse autem in annum proximum Praetor designatus esset, publico sigillo accepto, diebus quinque praecepit imperium, festinanter Achaeos, ut Messeniis subveniretur, ad arma vocavit, literisque ad civitates missis, universae pubi militari diem, quâ Megalopolin convenirent, edixit. Monet deinde Aetolos ut ex agro Messeniorum excedant neque in Achaïam pedem inferant: alioquin pro hostibus se habiturum, si qui ingrederentur.

Videbatur omnino, quo impetu quantàque consi-

lii strenuitate ad rem sese suscipiendam accingebat Aratus, ab infestis hostium incursionibus Peloponnesum brevi tempore liberatum iri; sed, in ipso suscepto exsequendo, modo nimiâ cautione tardior, modo inconsideratior, haud semel commoda deseruisse sua reique gerendae opportunitati defuisse traditur: quo nomine, et a Plutarcho, et vero maxime a Polybio, haud uno in loco, gravem reprehensionem tulit [1]). Hinc quoque effectum est, ut cladis illius, quâ, ad Caphyas, in Arcadia, exercitus Achaeorum affectus fuit, solus culpam sustineret Aratus, utque paullo post, conventûs stato die congregati, magis magisque crescente irâ atque indignatione multitudinis, hisce eum maxime criminationibus peterent. Primum enim peccasse Aratum in eo contendebant, quod magistratum, priusquam ineundi dies advenisset, tempore non suo, occupasset resque ejusmodi suscepisset, quas parum sibi feliciter succedere, frequenti rerum usu didicisset. Deinde etiam in hoc errasse et quidem gravius arguebatur,

1) Inpr. IV. 10 et 11.

quod, Aetolis in media Peloponneso cum maxime constitutis, Achaeos dimisisset, praesertim qui antea jam cognovisset, Scopam et Dorimachum, principes Aetolorum in eo esse, ut praesentem turbarent statum bellumque moverent. Tertium fuit, quod milites adeo paucos habens, cum hostibus conflixisset, quum, sine ullo discrimine, ad proximas urbes sese recipere Achaeorumque copias cogere, et tum demum, si omnino expedire censuisset, manum cum hostibus conserere potuisset. Postremum et maximum omnium illud erat, quod, ubi semel pugnare decrevisset, ita temere ac nullo consilio egisset omnia, ut, sine gravi armatura, cujus praecipua futura erat utilitas, per velites dumtaxat, in radicibus montium, pugnam cum Aetolis conseruisset, quibus nihil utilius neque exoptatius accidere potuerit. Haec ideo equidem notanda existimavi diligentius, quo, in hujus certe viri exemplo, insigniore pateret testimonio: *semel parta benevolentia quam fidelis*, ut Cicero scripsit, *vel ad perpetuitatem custos exstiterit* [1].

---

[1] De Off. II. 7.

Hasce enim tot tamque graves criminationes Aratus paucis verbis diluit: simulatque enim, in mediam progressus concionem, de prioribus in rempublicam meritis et rebus gestis disseruit, simulque, objectis criminibus respondens, probare conatus est, eorum quae accidissent se haudquaquam auctorem esse habendum, veniam autem petiit, si in eo proelio aliquando imprudens peccavisset, et postulavit, ut omnino res gestas, non malevolo animo atque acerbo sed humaniter indulgenterque spectarent, ita derepente populi mens commota conversaque fuit, ut et Arati inimicis, qui illum premebant, admodum irascerentur et in iis, quae deinde erant agenda, Arati consilio acquiescerent. Hoc igitur auctore, legati ad Philippum caeterosque socios missi sunt, qui eorum, in Peloponnesiorum gratiam, invocarent auxilium, quibus cum rex Macedoniae, (quod Arati maxime causa eum facturum esse speraverant) faciles praeberet aures, in communi concilio, Corinthi habito, decretum factum est, bellum Aetolis esse inferendum.

Enucleatam hujus belli expositionem, quae hujus loci non est, debemus Polybio. Vox autem ipsius

Arati, quam ille scriptor adhuc secutus erat, nuper conticuerat, quum eodem certe, quo et praeclarum rerum Romanarum scriptorem jure, Achaeorum principem temporum suorum pigeret taederetque [1]. Ego vero, quae ad hujus potissimum viri res gestas fataque cognoscenda conducunt, missis caeteris, pro instituto meo, adumbrare pergam.

Qualis igitur quantaque ad regis animum moderandum Arati vis fuerit, haec Plutarchi verba luculenter declarant: *ἐδόκει τε πᾶσιν ὁ Ἄρατος οὐ μόνον δημοκρατίας ἀλλὰ καὶ βασιλείας ἀγαθὸς εἶναι παιδαγωγός· ἡ γὰρ προαίρεσις αὐτοῦ καὶ τὸ ἦθος ὡς χρῶμα ταῖς πράξεσι τοῦ βασιλέως ἐπεφαίνετο* [2]. Nam, inquit, juvenis erga Lacedaemonios, qui eum offenderant, moderatio [3] ejusque erga Cretenses humanitas [4] atque expeditio in Aetolos, strenue gesta [5], obtemperantiae laudem Philippo, prudentiae

1) Vide Sallustium *in Praef. ad B. J.*

2) In V. Ar. c. XLVIII.

3) Cf. Polyb. IV. 22—24.

4) Polyb. VII. 12.

5) V. 5—14. cf. IV. 82, ubi, et propter caeteram vitam, et propter rerum gestarum magnitudinem, majorem quam pro ae-

Arato tribuit. Et vero Polybius, qui de Arato sic pronuntiare ausus est, ut in totius vitae instituto nihil eum temere, nihil unquam sine exquisito egisse judicio affirmet, eundem et prudentissimi semper et clementissimi auctorem consilii Philippo exstitisse contendit [1]).

Nihil profecto accidere optatius Arato potuit, quam ut regem in eodem illo de civitatibus Graecis bene merendi studio in eademque erga se voluntate et reverentiae sensu quam diutissime retineret. At, longe diversum idque acerbissimum ei imminebat fatum. Aulicorum calumniis irretitus, vix iis sese eripuit. Dein, regis moribus in deterius mutatis quum obsequi nollet, praeceps in perniciem datus est.

Inter illos igitur, quibus ab Antigono Philippi tutela mandata testamento fuerat, Apelles quidam fuit,

---

tate exspectari poterat hominum admirationem consecutus traditur.

1) V. 12. IX. 23. Ita quoque apud Polyb. VII. 13 (quod nequaquam praetermittendum puto) legitur, Aratum, cum Philippum videret, bellum adversus Romanos aperte suscipientem atque erga socios longe aliâ ac prius voluntate affectum, variis difficultatibus ac rationibus in medium allatis, aegre regem ab incepto deterruisse.

qui summâ eo tempore apud regem gratiâ summâque apud Macedones auctoritate valebat. Hic, ut Polybius ait, rem ausus nefariam, in animum induxit, Achaeorum gentem ad eandem redigere conditionem, quâ Thessali tunc erant, qui, etsi specie quidem suis legibus utebantur, Macedonibus tamen ita erant obnoxii, ut omnia peragerent, quaecunque aulae proceribus imponere iis collibuisset. Idcirco, quibus adhuc fruebantur Achaei, ut jura infringeret, et absconditis insidiis, et satis apertis machinationibus tentare omnia, regis animum sollicitare, principem Achaeorum ejusque filium, quem magni quoque faciebat Philippus, falsis malitiosisque circumvenire obtrectationibus, quae, partim certe, cognosci debent, si de Arati conditione, gravibus tunc obnoxia miseriis, vere statuere velimus. Iste igitur Apelles, homo perditus, in hoc nequitiae suae primitias edidit, ut Achaeos, qui unâ cum Macedonibus militarent et prius diversoria occupassent, ex hospitiis extrudendi partâque belli praedâ spoliandi potestatem suis militibus faceret. Deinde, vel ob levissimam causam, flagris illos caedi jubebat, inique ferentes vel

miseris succurrentes in vincula ipse tradebat: id sibi persuadens fore, ut, hoc pacto, homines, libertatis amantissimos talisque jugi indociles, sensim paullatimque, veluti mansuefactos et perdomitos, eo inertiae reduceret, ut gravissima quaeque a rege in posterum infligenda, perferrent patientissime. Jam vero Aratus populares suos, tam injuriose habitos, quibus oculis adspexerit, quam aegre ignominiam illam concoxerit, quam invito animo quamque oppresso flagitium toleraverit suis exitiosissimum, quis est quin, me haud monente, perspiciat? At, quamvis turpissimum excutere frenum et nefanda Apellis consilia subvertere et labefactare omni ope connitebatur, nihil tamen suis ipse viribus valebat; dominorum quondam oppressor, jam, oppressus, adire dominum, et, qui omnia sua ipsius auctoritate suoque peragere judicio consueverat, senex pueri, a cujus penderet arbitrio, invocare auxilium ab eoque leniorem suorum sortem exspectare debuit. Philippum igitur convenit, rem denuntiat. Hic juvenes, qui simul injuriarum sibi illatarum querelas ad se detulerant, confidere jubet: nihil enim simile fore illis

in posterum patiendum affirmat, et, quamquam pro auctoritate, quâ inter Macedones summâ pollebat Apelles, connivere in multis ab hoc viro perpetratis cogebatur, nihilominus ei praecipit ne quid posthac, non auditâ Praetoris sententiâ, Achaeis imperaret. Reverebatur adhuc, ut videtur, Aratum et suspiciebat, tum propter conjunctionis vinculum quod illi cum Antigono intercesserat, tum quod auctoritate et gratiâ, in Achaeorum gente, valeret plurimum, tum maxime propter singularem ejus in rebus administrandis dexteritatem et prudentiam. At vero, insignis ac plane stupendae in Philippi moribus commutationis, quam antiqui scriptores commemorant, in illis, quae proxime sequuntur, manifesta jam deprehenduntur indicia.

Etenim Apelles, ne sic quidem, a Graeciae opprimendae remittens conatibus, id agebat sedulo ut et ipsum Aratum et qui ab ejus partibus starent a rerum moderamine depelleret. Ejus contra adversarios ubi diligenter e variis conquisiverat civitatibus, singulos ad se vocatos conciliare sibi regique commendare studebat, cui praeterea demonstrare omni

ope conabatur, si, rejecto Arato, suis obsecundare rationibus vellet, tunc demum cum universis ipsum Peloponnesiis pro lubitu acturum esse. Jam vero hi stimuli, solertissimo admoti consilio, regis animum, imperii avidissimum, ita subegerunt, ut, proximis ad novum Praetorem designandum habitis comitiis, quum, Apelli obsequens, ipse in concilio adesset, Arato suisque diu multumque reclamantibus omnique, ut par erat, conatu obluctantibus, Macedonicarum partium fautorem quendam et administrum, Eperatum nomine, Pharaeensem, Praetorem creari passus sit. Ita insigniter patere civitatibus debuit, quam parum sibi ad sua jura tuenda auxilii exspectandum a rege illo foret. Ita subito in plurimorum animis evanescere spes illa praeclara coepit, quam ex generoso Philippi, heu nimium cito ad salutem Graeciae defervescente ardore, laeti conceperant.

Rex Macedoniae, Arati causam oppugnando, quam perverse egerit suam, ex male gesta Eperati Praetura continuo edoctus fuit [1]). Hinc ad illum denuo sese

1) Pol. V. in.

adplicare illique adhaerere coepit, omniumque quae acciderant culpâ in Apellem translatâ, ab Arato petiit, ut, quâ prius erga se voluntate fuisset, in eâdem, in posterum etiam, perseverare vellet: quod cum facile impetrasset, prosperrimo iterum in rebus gerendis successu usus est. Haec pungere acrius atque exacerbare Apellem cum cohorte sua invidorum hominum et profligatorum, quorum perditos conatus ulterius relatos persequi, vereor ne summam lectoribus molestiam creët. Quocirca, hoc unum de multis tradidisse sufficiat, ministros istos regios eo tandem processisse protervitatis atque nequitiae, ut Aratum aliquando, regio convivio exceptum, quum in diversorium sese suum reciperet, petere lapidibus ausi fuerint. En invidendum illum statum, quem sibi a Macedonum imperio, opinionis errore, Aratus finxerat! Rex omnino, iniquissimis istis neque amplius ferendis machinationibus quum et sua ipsius retardari coepta resque suas turbari cerneret, exagitatus irâ, primum eos mulctae, dein capitis poenâ affecit.

Sed utinam tunc Philippus, bello Aetolico ad fe-

licem exitum perducto, commodorum suorum rite memor, in eo intentissimâ curâ fuisset occupatus, ut, concordiae vinculum inter civitates Graecas arctius adstringendo, munitissimum sibi contra hostiles impetus, ab Occidente imminentes, pararet praesidium: contra, dissensionum turbarumque civilium in Graecia semina et dispergendo et fovendo, quos conciliare sibi omni ope debuit, variis afflictos vexationibus a suis partibus alienavit. Huc maxime pertinere videntur, quae Messenae deinde gesta sunt. In hac enim urbe, foederi quoque communi adscitâ, quum coörta esset seditio ad eamque componendam paullo serius advenisset Aratus, Philippus non sedare hominum mentes, non studia partium restinguere, sed exasperare vehementius atque irritare in se invicem incolas studuit. Hinc magnae turbae caedesque. Aratus, jam superveniens, quam acerbe haec omnia ferret, nequaquam dissimulavit, neque filii sui, acriter in regem invehentis conviciisque eum petentis, impetum cohibuit [1]). Philippus,

---

1) De turpi necessitudine, quae Philippo cum Arati filio intercedere tradebatur vide Plut. in *Vit. c. L.*

quamvis saepius adolescenti, prae iracundia, inter dicendum, ut ipsius Plutarchi verbo utar, allatrasset, nihil tamen ei respondet, patrem autem, moderati hominis affectans speciem atque civilis, dextrâ prehensâ, Ithomatam, arcem Messeniorum duxit, sacra Iovi facturus et locum contemplaturus. Ubi quum, jam sacrificio instituto, exta victimarum, pro usu recepto, regi oblata fuissent, ille, postquam manibus ea suscepisset, ad utrumque se vertens, et Aratum et Demetrium Pharium, quid sacra significarent, interrogat: arcemne Messeniis esse relinquendam an vero occupandam sibi firmiterque tenendam? Ibi tunc Demetrius, continuo ridens, respondisse fertur: „vatis si mentem habes, locum quam primum relinques, sin regis, bovem utroque cornu retinebis." Callide situm locorum ad Peloponnesum subigendam opportunum innuens [1]. Aratus vero, postquam, rogante Philippo, diu obticuerat, quum rex eum,

---

1) Cf. Strabo VIII. 4. *Ἡ δὲ Μεσσηνίων πόλις ἔοικε Κορίνθῳ· ὑπέρκειται γὰρ τῆς πόλεως ἑκατέρας ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀπότομον, τείχει κοινῷ περιειλημμένον, ὥςε ἀκροπόλει χρῆσθαι· τὸ μὲν καλούμενον Ἰθώμη τὸ δὲ Ἀκροκόρινθος.*

ut sententiam, quaecunque esset, aperiret, urgere non desisteret, haec verba praeclara enuntiasse fertur, in quibus effervescentem pulcherrimae naturae vim, et, si usquam alibi, pectus, quod disertum faciat, observare licet. „ Multi quidem, o Philippe," inquit „ magnique habentur Cretensium montes, multae Boeotorum altitudines et Phocensium excrescunt e terra; sunt et multa passim Acarnanum et maritima loca et mediterranea, miris instructa praesidiis: atqui, nullum horum occupasti et omnia sua sponte jussa tua peragunt. Latrones enim inhaerent rupibus, muniuntur praecipitiis: regi vero et fide et gratiâ munitius nihil, nihil validius. Haec tibi Creticum aperiunt mare, haec Pelopis insulam; ab hujusmodi initiis profectus, tu, tantilla aetate, horum quidem dux, illorum vero jam dominus es constitutus. Quare, si retinere Messeniorum arcem, fide, quam huic genti dedisti, intemeratâ potes, retine; sin, Ithomatam praesidio occupans, omnes arces amissurus es atque illud praesidium, ab Antigono acceptum, quo socios tibi servas (fidem significabat), vide, ne etiam nunc satius sit, eductis

militibus, fidem ibi relinquere, et per hanc Messenios custodire et reliquos pariter socios." Philippus, ita subjungit Polybius, si animo suo obsecutus esset, fidem fregisset, sicut ex iis, quae deinde egit, palam est factum: at vero, pudore cohibitus et veluti Arati rationibus subactus, manu iterum ejus arreptâ, arcem relinquens „ eâdem igitur" inquit „ quâ venimus viâ, redeamus." [1])

Fuit illa profecto *tamquam cycnea praeclari hominis vox atque oratio :* ex hoc enim tempore res Arati in perniciem ruunt. Mox cognovit Philippi in Iovem Hospitalem nefarium crimen: sed suorum ulciscendi contumeliam nulla potestas [2]). Vidit eundem, praecipitem amentiâ, civitates Graecas infestantem inque dies magis conturbantem: sed auxilii suis ferendi fracta spes. Illum mihi conspicere videor, tristi languore et desperatione correptum, mente paene alienatum dolore, vitam trahentem morti

---

1) Plut. in V. e. L. Polyb. in reliquiis l. VII. c. 11 et Strabo l.l.

2) V. Ar. c. LI. cf. Livius. XXVII. 31.

simillimam: sed, quamvis contritus animo atque abjectus, voces tamen mittere, infructuosas licet, haud destitit, ubi salus patriae, ubi commodum bonorum, ubi vera eum animi virtus vocabat. Haec sollicitare vehementius atque offendere regis animum, veritatis impatientissimum inque deterius jam plane mutatum [1]. Nimirum, in generosis Arati opprimendis conatibus, sentiebat cum Creonte apud Sophoclem:

οὐ γὰρ ἐκπέλει
φρονεῖν μέγ᾽ ὅςις δοῦλός ἐςι τῶν πέλας [2].

Immo intelligebat, nequaquam se liberum, illo vivo, nedum tyrannum regemve futurum. Quocirca veneno eum, clandestino more, de vita tollere decrevit. Taurionem, e ducibus Macedonum quendam sibique amicum, flagitium, se absente, conficere jubet. Hic, postquam familiarem sibi reddidisset Aratum, venenum ei miscet, non acre subitoque mortiferum, sed tardum trahens serumque exitium. Res

---

1) Cf. imp. Polyb. VII. 13. *οὐ λύκος ἐξ ἀνθρώπου, κατὰ τὸν Ἀρκαδικὸν μῦθον, ὥς φησίν ὁ Πλάτων, ἀλλὰ τύραννος ἐκ βασιλέως ἀπέβη πικρός.* De Philippo venefico vide Pausan. VII. 7.

2) *Antigone V.* 476.

non fugit Aratum, quam quo animi sensu tulerit cognoscere, quis est, quin operae inprimis pretium censeat? Praeclare enim auctor locuples: *οὐ γάρ τοι σμικρὸν ἔργον, ἦθος ἀνδρὸς γενναίου πρὸς αὐτῷ τῷ τέλει τοῦ βίου καταμαθεῖν, πότερον ἄτονος καὶ νωθρὸς ἦν, ἢ παντάπασιν ἀκλινὲς τὸ τῆς ψυχῆς ὄρθιον ἐφύλαττεν* [1]. Quid igitur Aratus? Num fractus animo concidit, an vero constantiam, quâ vir fortis sapiensque censetur, vel in certissimo mortis conspectu servavit *lentoque risu*, ut ait poëta, *temperavit amara?* Aratus, (sunt ipsius Biographi verba), ubi venenum se hausisse senserat, quum nihil, rem denuntiando, esset profecturus, placide taciteque calamitatem illam, ut vulgarem quendam morbum exantlabat: semel tantum, cum jam praecordiis conceptam mortem contineret sanguinemque evomuisset, uni e familiaribus miranti respondit: „Haec, o Cephalon, regum amicitiae praemia!" [2] Quo in loco Polybi-

---

1) Demosthenis Encomium, vulgo Luciano adscriptum c. 43.

2) Ita Plutarchus: *ταῦτ', ὦ Κεφάλων, ἐπίχειρα τῆς βασιλικῆς φιλίας.* Paullo aliter Polybius: *ταῦτα τἀπίχειρα τῆς φιλίας, ὦ Κεφάλων, κεκομίσμεθα τῆς πρὸς Φίλιππον.*

us, a quo totam hanc de Arati morte narrationem sumsisse Plutarchus videtur, haec verba subjungit, maxime memorabilia: *Οὕτως ἐςὶ μέγα τι καὶ καλὸν χρῆμα μετριότης, ὥςε μᾶλλον ὁ παθὼν τοῦ πράξαντος ᾐσχύνετο τὸ γεγονὸς, εἰ τοσούτων καὶ τηλικούτων κεκοινηκὼς ἔργων ἐπὶ τῷ τοῦ Φιλίππου συμφέροντι, τοιαῦτα τἀπίχειρα κεκόμιςαι τῆς εὐνοίας* [1].

Et Philippum quidem, ob alia quoque scelera, assecuta postea Nemesis est. Aratus autem, decimum septimum Praetor, Aegii obiit [2]. De cujus corpore in urbe sua sepeliendo, multum deliberarunt Sicyonii. Mortuos enim intra urbis moenia condere, lege vetabantur antiqua. Delphicum idcirco Deum adeunt consulturi. Cujus effato religione soluti, quum illustri Aratum pompa humo mandassent et monimento sepulchrali condecorassent [3],

1) VIII. 14.

2) Mors Arati insigne dicti Sallustiani documentnm praebuit: *regibus aliena virtus formidolosa est.* Vide B. Cat. c. VII.

3) Pausanias in *Corinth.* V. Ar. c. LIII.

divino eum cultu annuisque sacrificiis, veluti conditorem urbis suae et conservatorem, tria amplius saecula, celebrarunt [1]).

---

1) Ad haec item sacra solennia fortasse spectant Ciceronis in Milonianâ c. XXIX nobilissima verba: „*Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem et memoriam consecrantur.*" — Immo, suo etiam tempore, illorum solennium *δείγματα μικρά* Sicyone conspici, Arati Biographus tradidit.



THESES.

I.

Polybii sententiam l. III. c. 9. Φημὶ μὲν δεῖν, οὐκ ἐν μικρῷ προσλαμβάνεσθαι τὴν τοῦ συγγραφέως πίςιν οὐκ αὐτοτελῆ δὲ κρίνειν· τὸ δὲ πλεῖον, ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι τοὺς ἀναγινώσκοντας τὰς δοκιμασίας, *ut veram esse censeo, ita ad ipsius auctoris, cum in rebus Arati exponendis versatur, fidem minuendam facere contendo.*

II.

Arati virtus quominus illustrioribus fulgeat honoribus inprimis obstat Acrocorinthus Antigono tradita: in cujus tamen facinoris culpa aestimanda, iniquum Plutarchus judicem agit.

III.

Foederis Achaïci institutum, quippe mere politicum, non confundi debet cum foederibus Graecorum Amphictionicis.

IV.

Orationes Aetoli atque Acarnanis, quae referuntur a Polybio l. IX. c. 28-40, duplici maxime nomine memorabiles habendae sunt: illa, quod aperire apprime videtur, qualis Antigoni Dosontis, in sustentandis contra Lacedaemonios Achaeis, mens fuerit; haec, quia calamitatum, Graecis a Romanorum imperio imminentium, verissimum vaticinium exhibet.

V.

Minus recte Bayerus, in fastis Achaïcis illustratis, ἀκατάπαυςον ἀρχήν, *de continuatis Arati Praeturis intelligit.* (*Cf. Plut. in V. Arati c. 26*).

VI.

In Plutarchi meritis rite aestimandis, inprimis cavendum est, ne Biographi et Historici officia confundantur. In magna enim utriusque rationis similitudine magnum discrimen obtinet.

VII.

Verba Ciceronis, in Bruto c. XII. ,, *Pacis est comes otiique socia et jam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia" non pugnant cum sententia auctoris dialogi: de causis corruptae eloquentiae c. 40, ubi hanc ipsam, alumnam vocat licentiae, seditionum comitem et in bene constitutis civitatibus oriri negat.*

VIII.

In Aeschyli Tragoedia, quae inscribitur: Εὐμενίδες, *quamvis ad terrorem tragicum sensuumque sublimitatem, ut vix alia, comparata, Apollinis tamen verba, quibus, ad Orestae matricidae coram Areopago causam tuendam, utentem eum facit poëta (Vs. 658 Ed. Dindorf:) neque augustissimi tribunalis majestati neque totius carminis dignitati consentanea censeri debent.*

IX.

In ejusdem Tragoedi: Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, *verba praeconis, ad Vs 1044:*

τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά;

in ea vel maxime quadrant tempora, quibus Athenienses imminentes sibi a Persis calamitates eluctati, novam veluti vitam vivere coeperunt.

X.

Indolem, quam Atheniensibus tribuit apud Thucydidem Pericles II. 41. ξυνελών τε λέγω — καθ' ἕκαςον δοκεῖν ἄν μοι τὸν αὐτὸν ἄνδρα παρ' ἡμῶν ἐπὶ πλεῖς' ἂν εἴδη καὶ μετὰ χαρίτων μάλιςτ' ἂν εὐτραπέλως τὸ σῶμα αὔταρκες παρέχεσθαι, *insignem in modum expressam videas imagine Alcibiadis, a Plutarcho adumbrata. Cf. inprimis c. 23.*

XI.

Aliam respicit admirationem Socrates, apud Platonem in Theaeteto 155 D, ubi dicit: μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν· οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη· *aliam Horatius, hisce versibus, Epist. l. I. Ep. 6.*

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque quae possit facere et servare beatum.

XII.

Eandem ad Graeciam opprimendam φιλοπραγμοσύνην, *quam Demosthenes passim tribuit Philippo, plerisque Macedonum regibus, qui hunc secuti sunt, quodammodo propriam fuisse contendimus.*

XIII.

Fragmentum hocce Pindari, si ad mysteria Eleusinia referendum sit (quae sententia magnopere sese commendat): ad hujus instituti praestantiam declarandam eximie valeret:

Ὄλβιος ὅςις ἰδὼν ἐκεῖνα κοίλαν
εἶσιν ὑπὸ χθόνα· οἶδεν μὲν βίου τελευτάν
οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

XIV.

Ratio synchronistica, quâ, in historia belli Peloponnesiaci conscribenda, Thucydides usus est, quamvis identidem lectoris animum distrahat, illius tamen operis consilio valde accommodata censenda est.

